

Büchert. miscell. J. D.

C. F. R. Vetterlein, 1810.

Sammelband! (no.)

ccc

Rubr. XVIII, Nro. 25. E<sup>c</sup>


**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.


1)  
2)  
3)  
4)  
5)  
6)  
7)  
8)  
9)  
10)  
11)  
12)  
13)  
14)  
15)  
16)  
17)  
18)  
19)  
20)  
21)  
22)  
23)  
24)  
25)  
26)  
27)  
28)  
29)  
30)  
31)  
32)  
33)  
34)  
35)  
36)  
37)  
38)  
39)  
40)  
41)  
42)  
43)  
44)  
45)  
46)  
47)  
48)  
49)  
50)  
51)  
52)  
53)  
54)  
55)



- 1) Jo. Ananiasus Budeus de Peccato Ignora, f. A. 1722.
- 2) Christoph. Matth. Passius de recta Theologia Agrica confirmatione, f. A. 1720.
- 3) Jo. Christoph. Maronius de status Doctoribus, f. A. 1723.
- 4) Jo. Christoph. Wachsmuth Hof. XIV. 3. V. 1722.
- 5) Justus Georg. Zehner de Josephi silentio Evangelicae Historiae non noxia, f. A. 1700.
- 6) Hoff. Christoph. Romanus de Flori Josephi & Simonis de Christo, f. A. 1715.
- 7) Jo. Wilh. James de consp. Romanorum primo, f. A. 1710.
- 8) Jan. de Belgueus de Historia Salaria, f. A. 1690.
- 9) Jo. Mich. Rangius de supra ratione Latina, f. A. 1700.
- 10) Jo. Ful. Wandelinus de Melcha Pauli, f. A. 1707.
- 11) Jo. Mich. Rangius de Regione Novae Testamenti Barbaro-graeco, f. A. 1700.
- 12) Jo. Bar. Hochbach de Epaphro. f. A. 1710.
- 13) Jo. Andr. Danzius de Pasipho, solabii experte, f. A. 1715.
- 14) Jo. Franc. Budeus de libertate cogitandi, f. A. 1710.
- 15) Henr. Ophidius de factura et actu resurgendum, K. A. 1731.
- 16) Jo. Christoph. Wilomannshausen Proprietarius Philologicae, V. A. 1710.
- 17) De Henr. Michailis de inspecta S. Jacobi Minoris Cathedrali, f. A. 1722.
- 18) Joh. Meier de Julia Epistioti, sacra Eucharistica Conviva, f. A. 1722.
- 19) Jo. Ful. Meier de Clio, Corvorum Convictore, f. A. 1735.
- 20) Nic. Ern. Zobelius de Morbuorum resurrectione, a pagano adumbrata, f. A. 1734.
- 21) Jo. Wilh. B. de de formatione Christi in notis.
- 22) Jo. Andr. Strimling de Jo. Hartmanni Operibus selectis, Helmst. f. A. 1710.
- 23) Jo. Paul. vocif. Ulmum Christophus sacerdos Dordranus, f. A. 1707.
- 24) Jo. Henr. Michailis de Fide Novi Testamenti Graeco, f. A. 1707.
- 25) Georg. Schym. Grynus de Theologia Graecorum, f. A. 1700.
- 26) Val. Alberti de Ann. Idor, f. A. 1734.
- 27) Jo. Jac. Rambachius de J. Christoph. Summa Dorothea, f. A. 1730.
- 28) Theod. de Dellmann de Temperamentum in utraque Morales in Linau, f. A. 1715.
- 29) Christoph. Rangius de Convivata, f. A. 1732.
- 30) Joach. de B. B. Thausp. de Convivata, Mita, f. A. 1710.
- 31) Henr. Jac. van Bastenjan Dief. 2. de Jfite, f. A. 1719.
- 32) Equid. de sanctitate et virginitate matris S. Christi, f. A. 1720.
- 33) Equid. Observations sur l'usage de l'Acra, f. A. 1720.
- 34) Gottlob. Fried. Dulcius quod Christus in Genesia ex vocacione agnum patriarchalem non comederit, f. A. 1730.
- 35) Petr. Nanzus de Nucleo Novis Alexandrina, Jan. f. A. 1724.
- 36) Jo. Georg. Wobius de voce Chier, f. A. 1724.
- 37) Joach. Rangius de Convivata forma, f. A. 1730.
- 38) Fried. Wilh. Felner de Jfite ex parte, f. A. 1730.
- 39) Jo. Andr. Gleich de Regno Christophoro, f. A. 1734.
- 40) Al. Ch. numerat. res de naufragio S. Pauli, f. A. 1730.
- 41) Jo. Christoph. Kitzmiller de requie Pauli in Melita Insula, f. A. 1731.
- 42) Jo. Henr. Michailis de Fide Cathedrali, f. A. 1726.
- 43) Christoph. Welle de usu et officio expensionis sacri, f. A. 1732.
- 44) Jo. Henr. von Selen, quod formae rationis Christi non sit Jfite, f. A. 1722.
- 45) Mart. Chladenius de Theologia Emblematica, V. A. 1720.
- 46) Ern. Frid. Neubauer de Platoni Novi Doctoris Sacra. Caro et Sanguis, f. A. 1729.
- 47) Christoph. Saalbach de Fide Veterum, f. A. 1700.
- 48) Al. Schumannus de Corpore Christi mystico, f. A. 1700.
- 49) Jo. Mich. Aeylenus de auctore evangelii ad Actus, f. A. 1724.
- 50) Paul. Ern. Jablonius de sensu vocis de C. f. A. 1733.
- 51) Paul. Gygis de reverentia templorum Ecclesiae N. D. f. A. 1731.
- 52) Henr. Necht. Pauli de Typo Symothei, f. A. 1700.
- 53) Jo. Phil. Caspelius de Locis, in inferno sanctorum de S. Graecis tunc reconditis, f. A. 1722.
- 54) Jo. Casp. Vogel Epistola gratulatoria ad Christ. Knoch genium, f. A. 1716.
- 55) Fried. Wilh. Roloff de Archis D. Pauli Apostoli nominibus, f. A. 1731.







EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
**PECCATIS TYPICIS**

*QVAM*  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DN. VVILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQVA  
*AD DIEM SEPTEMB. M.D.CCVI.*

PRAESIDE  
**IOANNE FRANCISCO BVDDEO**

S. S. THEOL. D. ET P. P. O.  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
**IACOBVS DE BRVYCKER**

SLESVICO · HOLSATVS.

---

L I P S I A E,

---

ANNO MDCC XXI.

*Handwritten mark*

RECCATIS TYPICIS

DM. VILHELMO HERRICO

IOANNI FRANCISCO BYDOTO

IACOBY DE HANCKER

2153,







Q. D. B. V.

Σύνοψις.




*I*vcis pariter ac tenebrarum regnum, quod in nouo testamento, conspicitur, sapientissime in veteri est adumbratum, §. I. Hinc typi, §. II. Quorum magna est varietas, §. III. Nonnulli actiones, tum bonas, tum malas, exhibent, §. IV. Et hi quidem dicuntur peccata typica; in quorum explicatione caute versandum, §. V. Nec ullo modo ipsorum peccatorum auctor constituendus Deus, §. VI. Speciatim inter peccata typica referitur fratricidium Caini, §. VII. Ad quoddam typorum genus pertineat. Locus epist. Iudae vers. 11. illustratur, et in antitypum inquiritur, §. VIII. Balaam quoque inter peccatores typicos referendus, Loca II. Pet. 15. Apocal. II. 14. explicantur. §. IX. Chami crimen exponitur, §. X. Gravitatem eius, ex eo, quod fuerit peccatum typicum, imminuere annuitur Petrus Iuriaeus, §. XI. Cuius de peccatis typicis sententia, uberius exponitur, §. XII. Eiusdem de Melchisedeco sententia, discutitur, §. XIII. Quae autem de Chami delicto

A 2 asse-

asseruit, reselluntur, §. XIV. Interim & Chami delictum referri quodammodo inter peccata typica posse, conceditur, §. XV. Quae generatim de peccatis typicis idem statuit, accuratius sub examen reuocantur, §. XVI. Esauum, ius primogeniturae pro pulmento vendentem, quo pacto idem ex hac hypothese excuset, §. XVII. At perperam, cum ius simul sacerdoti in minimis posuerit Esauus; quod quale fuerit exponitur, §. XVIII. Quo sensu Esauus Ebr. XII. 16, Βέβηλος dicatur, §. XIX. Sacerdotium inter praerogatiuas primogenitorum fuisse, negat Campeius Viringa, §. XX. frustra, §. XXI. Nec Iurisci explicatio, cur idem Βέβηλος vocetur, admittenda, §. XXII. Recte tamen inter peccatores typicos refertur Esauus. In antitypum eius inquiritur, §. XXIII. Ioannis Spenceri de Esauo antitypo sententia proponitur, & examinatur, §. XXIV. Vxor Loti, quo pacto ex hac hypothese a Iuriano excusetur, §. XXV. Repugnante scriptura, §. XXVI. Achitophel, typus Iudae proditoris a nonnullis consiuitur: num immediate ad eum spectet Psalmus CIX, §. XXVII. Vtriusque accuratior comparatio, & primo quidem, qua peccatum, ubi ὡς ἐν παγιδῶν de haereticis, qui Iudam aut laudarunt, aut excusarunt, §. XXVIII. qua exitum vitae, mortisque genus, §. XXIX. In scriptis prophetiis, Sodoma, Aegyptus, Babel, Tyrus, exhibent typum regni Antichristici, non tamen semper; quod probatur contra Cocceium exemplo loci Es. XIV. 12. 14. §. XXX. Item loci, Es. XXIII. §. XXXI. Factum Hoseae diuini vatis, ab eo cap. I. II. III. descriptum, num habeat, indolem peccati typici? sententia illorum, qui meram hic narrari parabolam, putant, §. XXXII. illorum, qui de  
scoria-

scortatione proprie sic dicta, hoc capiunt, §. XXXIII. illorum, qui Hoseae uxorem, foeminam honestam, & pudicam, hoc nomine repraesentari putant; itemque illorum, qui mulierem scortatricem cum legitimo matrimonio sibi iunxisset, statuunt, quae adprobatur §. XXXIV. Concluditur, hocce prophetae facinus, typum quidem, non tamen peccatum typicum fuisse, §. XXXV. Dubium, quod liberi prophetae, & uxoris huius, liberi scortationis, dicuntur, remouetur, §. XXXVI. Antitypus, per Hoseae uxorem repraesentatus, explicatur, §. XXXVII. Antiochus illustris, num sit typus Anti-christi, & an hoc sibi velit Daniel cap. XI. v. 21. usque ad finem? §. XXXVIII. Sententia illorum, speciatim, Henrici Hulsi, qui omnia, quae a versu 21 usque ad finem capituli dicuntur, tantum de Anti-christo capiunt, §. XXXIX. XL. XLI. Refellitur, §. XLII. XLIII. XLIV. Altera sententia, quae illorum est, qui cuncta ad Antiochum, nulla Anti-christi habita ratione, referunt, itidem refellitur, §. XLV. Praefertur reliquis sententia illorum, qui priorem partem immediate de Antiocho, posteriolem, de Anti-christo agere contendunt; sed ita, ut in priori Antiochus simul sit typus Anti-christi. §. XLVI. Nonnulla, de quibus adhuc dici potuisset, peccata typica, summam adducuntur §. XLVII. Scopus, & vsus huius dissertationis indicatur, eique simul finis imponitur, §. XLVIII.

§. I.



Vm multa sint, & egregia admodum summi Numinis, quae in homines contulit beneficia: haud postremum tamen illorum est, quod vtriusque regni tum lucis, tum tenebrarum, naturam indolemque luculenter

in diuinis repraesentauit litteris. Namque ignorare eos noluit, & quae fugere, & quae consecrari debeant; quaeue felicitas illorum esset, qui noxia auersarentur, adpeterent praeclara, quae miseria illorum, qui secus se gererent. Ideoque non verbis, sed factis etiam atque exemplis haec omnia adumbrari & praesignificari quam clarissime voluit, vt sapere tandem disceremus. Cumque in nouo demum federe, vtrumque & lucis & tenebrarum regnum, se quam apertissime pandat, ne, quae euenire videmus, temere contingere existimemus, sapientissime prospexit, & non modo per vates talia euentura praedixit, sed variis imaginibus & exemplis in veteri testamento, veluti in tabula depinxit & delineauit.

§. II. Et haec rerum futurarum figuras atque imagines, regni cum primis diuini, eiusque administrationis rationem exhibentes, typos adpellitare diuinae sapientiae interpretes solent. \* Cuius significationis exem-

\* de voce hac, variisque eius significationibus, ex instituto differit Guilielmus Saldenus, in *otius theologicis lib. II. exercit. III.* quae agit de *typorum* v. *Torsu* & *abusu*, *sect. I. §. III. sqq.*

exemplum qui in scriptura sacra quaerunt, illud quod *Ebr. VIII. 5. Actor. VII. 44.* extat, ὅσα γὰρ ποιήσας πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δεχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει, huc referunt. Structuram enim illam tabernaculi Leuitici fore typum & praefigurationem veritatis, in nouo testamento expectandae, innuitur. *Legem vniuersam*, inquit GREGORIUS NAZIANZENSIS \*, *futurorum*, atque eorum, quae animo & ratione intelliguntur, *ombram fuisse*, diuinus apostolus ante nos pronuntiauit. Ac Deus etiam qui Moysi ante oracula edidit, cum de his rebus leges illi praescriberet, vide inquit, *ut omnia facias iuxta exemplar* (κατὰ τὸν τύπον) *quod tibi in monte ostensum est*, canimirum, quae adspecta sentiuntur, quasi adumbrationem (σκιαγραφίαν) *quandam & delineationem earum rerum, quae oculorum sensum fugiunt, ostendens.* Sunt qui per τύπον hic intelligunt ipsum ἀχέροπον, \*\* seu primarium exemplar earum rerum coelestium & spiritualium, quae per tabernaculum & ceremonias illi annexas, atque in eo celebrari solitas, fuerunt tanquam ἀντίτυπα praefigurata, Christum scilicet ipsum, in cruce pro nobis oblatum, quae res Moysi in spiritu ostensae fuerint. At alii rectius iudicant, \*\*\* per τύπον hic intelligi

\* *Orat. XLII, εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. p. 683.*

\*\* Ita Ektius, Iustinianus, alique sentiunt, apud Sebastianum Schmidium, *comment. ad b. l.*

\*\*\* vid. Glassius *Philol. sacr. lib. II. part. I. tract. II. sect. IV. artic. I. p. 315.* Ex recentissimis autem interpretibus in eandem sententiam ingreditur Io. Braunius, *comment. ad b. l.* Ab utraque autem discedit Sebast. Schmidius, verborum apostoli hunc esse sensum contendens: *fac omnia in eo su-*

intelligi ipsam futuri aedificii dispositionem & formam, quae Mofi ostensa fuerit, & quam vox ebraea הכניר proprie significet: licet is sensus eo trahatur ab apostolo, vt ostendat, sacerdotes veteris testamenti exemplari tantum, & umbrae coelestium inferuisse. Quicquid vero huius sit: licet vel maxime haec, quam ponimus, typi significatio in diuinis litteris non occurrat: nota tamen factis est, atque celebrata, in scriptis theologorum.

§. III. Typorum diuisiones & varia genera, accurate, more suo, & diligenter tradit ex nostratibus SALOMO GLASSIVS. Nec tamen exhaurit omnia. Posunt enim typi historici, qui a propheticis recte discernuntur, haud incommode ita dispesci, vt duae illorum constituantur classes, quarum *ritus & res sacras* altera, altera *actiones* hominum, easque tum *bonas*, tum *prauas* contineat. Ritus resque sacras in veteri testamento subinde aliarum rerum typos atque adumbrationes fuisse, tam manifestum est, vt vix sit, qui ea de re dubitet. Sic aeneum serpentem, diuino mandato contra morsus serpentinos in deserto a Mose erectum *Num. XXI. 8. 9.* typum gessisse Christi in cruce sublato, & a morsibus serpentis infernalis credentes sanantis, ipse testatur seruator, *Ioan. III. 14. 15.* Propitiatorium, siue arcae federis tegumentum & operculum *Exod. XXV. 17.* typum fuisse Christi, colligas haud obscure ex *Rom. III. 25.* vbi

---

*praecelestium typo seu umbra, quam faciendorum gratia, vt eam imiteris & exprimas in illis monstravi tibi. Qua de re nunc vterius disquirere non lubet.*

25. vbi a Paulo vocatur *ἱλαστήριον*. Et quid opus est pluribus? sacrificiorum oblationem, omnesque ritus & ceremonias sacras tabernaculi Leuitici, vmbra exhibuisse futurorum, luculenter & ex instituto docet Paulus in epistola ad *Ebraeos cap. V. seqq.* Sumuntque hoc sibi interpretes & Leuitici & epistolae ad Ebraeos, vt illos veteris testamenti typos euoluant, & latitans sub vmbri corpus exhibeant, & veluti digito ostendant. Quem laborem sub istis ritibus & ceremoniis Christum quaerendi, licet nonnulli reprehendent aut dannt, qui naturales aut politicas legum Mosis ritualium causas sibi inuenisse visi sunt: mihi tamen saltutaris ac dignus homine christiano videtur. Nec est forte, quod praeter mentem consiliumque Mosis hoc fieri censeatur: cum nihil frequentius olim fuerit etiam apud gentiles, quam ritibus & ceremoniis docere res absconditas. Sane quod philosophi deinceps praestabant doctrinis, libris, commentariis, hoc ante Pythagoram Graeci sibi volebant, *mysteriis, τελεταις, orgiis, ceremoniis, initiis*, vt viris eruditis nostra aetate obseruatum; \* hoc saltem discrimine, vt philosophi literis & vocibus propalarent, quod mysteriorum antistites, summa veneratione, sanctissimo silentio, intra templorum claustra, ceremoniis, symbolis &c. adumbrarunt. Sic animae corporisque coniunctionem referebant Cereris facta. Inde *pristinam, & patriam animae, caelestem sedem*, ex mente scilicet gentilium, in-

B dican-

\* conf. viri clarissimi, Andr. Christiani Eschenbachii, *Epigenes, seu commentar. de poësi Orphica* p. 8.

dicantes, peragebant ipsa sacra ἐν ὄνκω μυρτιῶ, ὑπαρ-  
 Φυῆ κἀλλει καὶ μεγέθει. Inde hi μύρμενοι myrto co-  
 ronabantur, ad sanctum istud connubii fedus indican-  
 dum, quo coelestis haec sponsa, castissima, purissima  
 virgo, in manus noui sui mariti, corporis, traditur.  
 Inde sub ingressum τῆς ὄνκας μυρτιῆς, manus lauabant,  
 mentemque puram, manusque castas habere inebantur;  
 & quae reliqua erant eiusdem commatis.\*

§. IV. Ad actiones quod attinet, illae vel sigil-  
 latim, vel coniunctim in plurium velut actionum com-  
 plexu, spectari possunt. Posterioris generis sunt illo-  
 rum, qui vel per integram, vel magnam vitae partem,  
 pluribusque rebus gestis typum atque imaginem alte-  
 rius exhibuerunt. Cuiusmodi sunt exempla Isaaci, Ia-  
 cobi, Iosephi, Iosuae, Simsonis, Dauidis, Salomonis, a-  
 liorumque, quos insigni quadam vitae suae parte Chri-  
 stum repraesentasse, notum est inter omnes. Singu-  
 larum actionum hi ipsi simul exemplum praebent, &  
 Aaron etiam v. g. precibus & suffitu iram Numinis si-  
 stens, ne plane gentem Israeliticam perderet; vni-  
 que intercessionis Christi pro nobis simul adumbrans. At  
 vero cum bonarum pariter ac malum actionum,  
 virtutum & vitiorum memoria, in scriptura sacra con-  
 seruata, & ad nos propagata sit; de bonis autem a-  
 ctionibus, positum sit extra controuersiam, per eas fu-  
 tura subinde adumbrari; de malis dubitari adhuc pos-  
 sit, an & in iis quandoque typi ratio deprehendatur? \*\*  
 Sane

\* add. Eschenbachius l. c. p. 14.

\*\* Negat id disertè Guil. Saldenus orior. theol. lib. II, exerc. III.



Sane si illos, qui vbique typos & rerum futurarum imagines quaerunt, audias, res confecta erit. Nihil enim siue bonum, siue malum fuerit, isti praetermittunt, in quo non typos & imagines quaerant, non malo quidem consilio, nec profecto sine insigni quandoque ingenii gloria, nescio an aequo firmo vbique fundamento. Documento esse possunt, quae, vt ex multis vnum afferam, HENRICVS HVLSIVS, ea de re disserit, in *Figuris temporum*,\* seu *schemate triplici prophetiae*, vbi non minus in Abele & Setho, hominibus piis, quam in Caino improbo & fratricida typum quandam & adumbrationem futurorum, se inuenisse putat. Scilicet, cum tres filios habuerit Adam, Cainum, Abelem, Sethum, primus quidem reprobatur, interficitur alter, tertius demum superstes manet ecclesiam propagaturus. Haec ad Christum secundum Adamum refert, quem tres filios accepisse contendit. Cain, inquit, primogenitus, reperitur in Iudaeorum illis primoribus, qui cum aliis naturalibus filiis ac haeredibus, primi erant, & interea vltimi fiunt. Magna itidem de primoribus Iudaeorum erat spes, vti & de Caino maxima quaeque sibi pollicebatur Eua, se habere virum Dominum, existimans. Sunt porro, ita pergunt HVLSIVS, cum Caino terrae & glebae affixi agricolae, primogeniti item, & cum eo simul reprobat. Sacrificant cum

B 2

Caino

*scilicet III. s. VIII.* sed in generatione, cum exempla hoc euincant. Idem & contra eos, qui vbique typos quaerunt, acriter disputat, *ibid. scilicet I. s. VIII.*

\* Quae additae sunt eius commentationi de *vallibus Prophetiarum* p. 465. seqq.

Caino in cultu laboriosissimo, nec tamen, ob incredulitatem Deo se probant. Hinc accensi aemulatione & ira, contra monita Dei, peccando in Spiritum sanctum, odio prosequuntur & occidunt fratres, quos praeferre illis ob fidem Deo visum fuit. Nec dissimilis poena subsequitur. Non plane delentur, sed parcutur istis, sed habentur bene atque emuntur *bordeo & argenteis Hof. III. 2.* Exulant vero nullibi habentes fixas sedes, *Hof. III. 4. Es. VIII. 21. Deut. XXVIII. 68.* Sed & in metu agunt *Es. II. 10. III. 26.* & quae alia sunt comparationis huius momenta. Per Abelem autem paucos illos, qui ex Iudaeis conuersi, ideoque grauissima quaeque a fratribus passi sunt, ut per Sethum gentes, in Iudaeorum locum assumptas, intelligit; quae omnia operosius deducit edisseritque. Tetigerint rem acu, non desinio; hoc tamen magno consensu veteres recentioresque ecclesiae doctores statuunt: ecclesiae fata in filiis Adami repraesentari, & Cainum malorum, piorum autem coetum Abelem atque Sethum repraesentare: \* & ita vel primi hominis reprobis exemplo doceri potest, peccatorum typicorum haud sana infrequentia, in scriptura exempla, occurrere.

§. V. Sed sunt in peccatorum typicorum explanatione quaedam obseruanda diligenter, quae si neglegantur, magna hinc oriri incommoda, immo errores enasci possent. Nos postquam praecipua indicauerimus, exemplis aliquot selectioribus cuncta illustrabimus.

\* vid. prae ceteris Ambrosius de *Cain & Abel. op. tom. IV. p. m. 136. seqq.*

mus. Primo itaque, quae generatim de typo & antitypo praecipitur solent, & hic locum inueniunt: quae cum abunde exposita sint ab aliis, iis non immorabimur. Sic cum in quibusdam typis, ipsa scriptura sacra antitypum ostendat atque demonstret, ut nullus de eo dubitandi superfit locus, ita se res habet etiam in peccatis typicis. Antiochum illustrem Syriae regem, imaginem gessisse Anti christi, si quis dubitare vellet, nae eum clarissima Danielis oracula in dubium vocare oporteret. Qua de re deinceps. Contra sunt typi, quorum antitypi hominum inuentione constituuntur: in quibus caute omnino procedendum.\* Cainum atque Abelem fata ecclesiae repraesentasse, haud inepte mea opinione asseritur: nec tamen scriptura sacra diferte hoc memorat. Utrobique vero ita versandum, praesertim etiam quando de peccatis typicis sermo est, ut comparisonem non ultra quam par est extendamus. Quod qui faciunt, vbique typi & antitypi conuenientiam quaerentes, in maxima se coniiciunt subinde incommoda. Simsonem in quibusdam fuisse typum & imaginem Christi, non temere quisquam negauerit. Qui vero cuncta Simsonis ad Christum applicare sustinerit facta, multum profecto sibi ipsi accesserit negotii. Nec Antiochi credo, & Anti christi

B 3                                  vbique

\* Solent hos typos *illatos*, vocare, quos ab *innatis* distinguunt. Eos quidem typos dicendos esse negat Guilielmus Saldenus, *otior. rheol. lib. II. exercit. III. sect. II. §. I. seqq.* Sed lis omnis de voce est. Quo pacto autem innati ex certis criteriis dignosci & inuestigari possint, operose idem tradit, *l. c. §. IV.*

vbique tam belle procedet comparatio, vt non subinde magna se vtrinque prodat diuerſitas. Et iſtud quidem eſt, quod theologi docent: *plus ſaepe eſſe in typo, quam in antitypo.* Et hinc porro concludunt, nacuos ac peccata ſanctorum veteris teſtamenti, qui typos Chriſti gesserunt, Chriſto nec poſſe, nec debere tribui. Poſſe enim imaginem exacte referre prototypum, eſſi macula forte quaedam ſit adſperſa, quae a prototylo differat. Rurſus tamen iidem addunt, *plus ſaepe eſſe in antitypo, quam in typo figuratum ſit.* Quod cum reſtiſſime procedat de iis typis, qui Chriſtum, eiusque regnum repraeſentarunt, qui ab antitypo diſtant *ut umbra a corpore, Ebr. X. 1.* non minus tamen & in peccatis typicis obſeruari meretur. Namque quo inſignior gratiae diuinae in nouo teſtamento efficacia conſpicitur, eo exquisitior & profundior illorum eſt malitia, qui repudiato caeleſti lumine, ſub principis tenebrarum auſpiciis, regnum Chriſti impugnant. Nec tamen ita hoc capiendum, ac ſi ideo peccata ipſa, illorum, qui typi fuerunt aut excuſanda aut in mitiorem partem interpretanda ſint: ſed ſunt manentque & ea peccata grauiffima, licet grauiora eſſe poſſint, quae per illa fuere adumbrata. Execrabilia vtique fuere peccata Caini, Balaami, & Korae, ſed execrabiliora adhuc ni fallor illorum, qui in nouo teſtamento, *Caini veſtiga premunt, ſeque implicant erroribus Balaami, & in conſpiratione Korae percunt,* quos Iudas designat in *epiſtola ſua verſ. 11.* primitiae ſcilicet regni illius Anti-chriſtiani, quod iam tum moliebatur infernalis genius. Denique nec illud pratermittendum, vnā eandemque

que rem saepius per varios typos, quos partiales vocant, exhibitam fuisse atque repraesentatam. Quod pariter & de peccatis typicis est intelligendum. Ut enim ad Christi eiusque regnum adumbrandum, non vnus typus comparatus fuit, sed plures qui inter se iuncti, plane tandem cuncta exhibent: ita & ad regnum Sathanae, quod regno Christi semper fuit oppositum, plures typi spectant, quorum quilibet partem, omnes vero tandem totum istud mysterium iniquitatis, exhibent exhauriuntque.

§. VI. Nos vero vt per peccata typica, impiorum in veteri testamento crimina prauasque actiones intelligimus, quibus alia aliorum hominum impiorum male facta fuere praefigurata: ita anxium quem atque sollicitum haec reddere possent, annon hoc modo in ipsum Deum peccati culpa redundaret? Ista enim vtriusque & typhi & antityphi conuenientia, si casu eueniat, vt plurimorum hominum prauorum non possunt non valde inter se similia esse facinora, non possunt vtiue ista, quibus alia praefiguntur, peccata, habere rationem indolemque typhi. Sini Deus per typos illos repraesentare voluit futurorum temporum mala & exhibere, auctor quodammodo peccatorum dicendus fuerit; quod cogitare summum nefas est, & inexpiabile crimen. Eumne peccati malique auctorem dixeris, qui maximo odio peccatum & omnem prosequitur iniquitatem? *Psal. V. 5.* qui ipsa bonitas est, sanctitas, iustitia, veritas? Quod ipsa omnes adeo condocet ratio, vt, & qui placita defendunt, quae mali quandam culpam non possint non in Deum deriuare,

re, nihilo fecius, toto se aiant abhorrere pectore, ab ea sententia, quae Deum facit causam auctoremque peccati. Ita ergo statuendum, Deum equidem ad typica quoque concurrere peccata, at eò modo quo ad prauos hominum actiones concurrere solet, concursu quodam generali, quo omnes homines ad omnes suas actiones indigent, tum vero speciatim nonnullas impediendo, ceteras, quae permittuntur, ita dirigendo, ut bonum aliquid tandem inde resultet. Illi ergo, qui typica crimina committunt, impellente infernali genio, suadente cupiditate, prohibente per leges Deo, ad peccandum accedunt, nec alium peccati auctorem quam se ipsos & infernalem genium accusare possunt. Tum vero intercedit subinde Deus, permittendo, impediendo, puniendo, externas circumstantias dirigendo, ut similibus & futurorum euentuum imagines isti fiant, simulque exempla iustitiae diuinae, in quae homines intuendo, stectantur ad meliora.

§. VII. Haec omnia, quae diximus, clariora euadunt, per exempla quaedam quae nunc subiicere animus est. Primum esto fratricidium Caini, quod peccatum fuisse typicum, ipse docet Hipponensium praefatus, AVGVSTINVS. \* Namque duo in hoc mundo esse hominum genera obseruat, *unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum viuunt. Quas etiam, inquit, mystice appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum: quarum est una, quae praedestinata est in aeternum regnare cum Deo; altera aeter-*

\* de Ciuit. Dei lib. XV. cap. I.

*aeternum supplicium subire cum Diabolo. Ciuitatis igitur diaboli exordium statuit in Caino fraticida, qui fratrem suum, ciuem ciuitatis aeternae, in hac terra peregrinantem, inuidientia victus, occidit. Tum vero porro docet, quo pacto Cain, & interficiendo fratrem, & condendo urbem, typus sit hominum huius seculi, qui pios opprimunt, firmasque & stabiles in hoc mundo sedes quaerunt. Sic & totam gentem Cainiticam, typum fuisse hominum huius seculi, & posteritatem Sethi exhibuisse imaginem verae ecclesiae porro demonstrat: cumque obseruasset, vxores Lamechi, nec non Tubalcaini sororem, Naamah, in vltima Cainitarum generatione commemorari, cum in Sethi posteris nulla feminae mentio facta esset, eleganter, inquit, significatum est, terrenam ciuitatem usque in finem sui carnales habituram generationes, quae marium feminarumque coniunctione proueniunt.*

§. VIII. Ad quodnam typorum genus hoc Caini peccatum pertineat, si sola Augustini auctoritate stemus, diiudicari ex supradictis potest. Videtur tamen ipsa scriptura sacra innuere, quod in peccato Caini τυπικόν τι fuerit. Id, ni fallor, nos condocet Iudas apostolus, in epistola sua vers. 11. *Vae eis, quoniam Cainiana via grassantur & erroris Balaamici mercede profligati sunt, Koranaeque coniuratione pereunt.* Ferire haec haereticos doctores eius temporis, speciatim eos, qui ex secta atque cohorte Simonis fuerunt, quorum typi fuerint Cain, Balaam, & Korah, a vero non adeo abhorret. Obseruat id, vt reliquos taceam, etiam CORNE-

C

LIVS

LIVS A LAPIDE, \* tres hōsce ideo nominasse apostolum, quia isti prae aliis fuerint, Dei, fidei, & sanctitatis hostes, seductores fidelium, corruptores ecclesiae; unde, inquit, fuerunt Simonis, Gnosticorum, & haereticorum TYPUS ET PRODROMI. Cain enim Abelem primam fidei & ecclesiae propaginem occidit. Balaam voluit perdere populum Ebracorum, qui erat veri Dei cultor, eiusque ecclesia; Core ambiendo sacerdotium rebellavit Mosi, suoque schismate synagogam secuit & perdidit. Nec procul hinc abit IOANNES GERHARDVS noster, \*\* qui per Cainum, Balaamum, & Corah, praecipua pravorum doctorum vitia, invidiam, avaritiam & contradicendi studium, seu inobedientiam, seu per typos & imagines repraesentari docet. Sequuntur, inquit, exemplum Caini, qui primus ab ecclesia Dei diuortium fecit, Genes. IV. 5. Per Cain taxat apostolus invidiam. Cain enim ex invidia occidit fratrem. Per Balaam taxat avaritiam, qui male pro mercede diuinavit. Per Core, qui contradixit Mosi, & seditionem contra eum mouit, taxat inobedientiam. Et res ipsa sane hoc docet, ex mente Iudae apostoli, Cainum, Balaamumque & Corah, fuisse imagines improborum, qui maximum ecclesiae illaturo esset damnum, etsi in antitypo designando, ab apostolo quodammodo dissentiat AVGVSTINVS. Id tamen non obstat, quo minus Caini fratricidium typicum, dici queat: praesertim cum & vnus typi, diuersi esse queant antitypi; adeo quidem, vt antitypus iterum alterius rei typus esse queat.

§. IX.

\* in annotat. in b. l.

\*\* ad b. l.



§. IX. Caini dum attulimus exemplum, simul patuit, & Balaamum inter typicos peccatores recte quoque referri. Quod non Iudae modo, sed Petri quoque II. *epist. II. 15.* & Ioannis testimonio confirmari potest. Hic enim de Pergamensi ecclesia verba faciens, *sed habeo*, inquit, *contra te pauca, quod habes istis, qui Balaami doctrinam teneant, qui propter Balaacum docebat Israëlitis detrimentum asferre, quo immolata deaferis vescerentur, ac scortarentur. Apocal. II. 14.* Haec ad Nicolaitas, aut similes iis haereticos referenda esse, nonnulli contendunt, interque eos HERMANNVS VVITSVS.\* Admodum hic credibile putat, Balaamiticae huius doctrinae sectatores reliquis quoque fidelibus auctores fuisse, ut intrepide interessent gentilitiis civium suorum conuiuibus, qui de idolothytiis vescerentur, sub praetextu libertatis pariter ac prudentiae christianae, ne nimia scrupulositate, & non necessaria separatione, persecutionum flammae acrius incenderentur. At quo minus per Balaamiticae doctrinae sectatores intelligi queant Nicolaitae, obstat, quod vers. 13. diserte distinguantur ab illis, qui doctrinam Balaami teneant. Suntque etiam, qui omnino & Nicolaitarum typica quadam ratione hic mentionem fieri, existimant. Hac in sententia IO. COCCIVS versatur. Qui sub Nicolaitarum imagine ac typo Romanenses latitare putat; eosque a victoria populorum nomen sortitos, cum Nicolais perinde sit ac *νικῶν τὸν λαόν.* Quo etiam nomen

C 2

Balaa-

\* in *Miscellan. sacris part. I, lib. III. cap. III, §. LXXX, p. m. 690.*

Balaami spectare putat, quod ex כַּעַל & עַם compositum, principem populi denotare potest. A magistro non procul abscedit, celeberrimus Cocceianarum hypothesisum propugnator, NICOLAUS SVRTLEKVS, qui ad ecclesiae defectionem, sed ad illud cumprimis tempus haec verba refert, quo multi episcopi & sacerdotes, imagines in templa & oratoria introduxerunt, quibus ferior aetas diuinitatem & cultum tribuit.\* At mihi haec omnia longius petita, nec satis firma ac stabilia videntur. Quicumque vero demum Balaamitici erroris sectatores sint, homines certe designari oportet, calliditate, improbitate, malignitate Balaamo similes, qui praua doctrina seipsos, aliosque seduxerint, & in omne impuritatis ac lasciuiae genus dederint praecipites; vt adeo Balaam typum & imaginem illorum rectissime referat. Balaamum autem regi Madianitarum Balaco hocce consilium, de perdenda per peccatorum illecebras gente Israelitica, dedisse, licet diserte a Mose, vbi istam Israelitarum stragem refert *Num. XXV.* non commemoretur, apostoli tamen exploratum satis habuerunt, atque perspectum. In gente Ebraea ex traditione hoc notum fuisse, auctor est HVGGO GROTIVS:\*\* sed non necesse, vt huc nos recipiamus, cum haud difficulter istud colligatur ex *Num. XXXI. 16.*

§. X. Vt autem eo redeamus, vnde digressi sumus, post Cainum & gentem Cainiticam, illustre, si non-

\* in *systemate theol. prophet. per. III. N. T. cap. XXXIII. §. XXX. p. 544.*

\*\* in *comment. ad Apocalypf. II. 14.*

nonnullis credimus, istudque primum post diluuium, peccati typici exemplum Chamus praebet Noachi filius. Hunc ob irrisam Noachi, vino & somno conpulti, nuditatem, fratribusque propalatum, paternam incurrisse maledictionem constat. *Genes. IX. 21. seqq.* Si vero cuncta accuratius expendantur, quae diuinus scriptor ea de re commemorat, non vnum oritur dubium, vt& praestantissima ingenia, hic, quo se exercent, inueniant. Primo namque non satis constat, quodnam fuerit Chami delictum? Tum vero, cur non Chamo, sed Canaani, filio Chami, & quidem vt videtur, innocenti, diras imprecatus fuerit Noachus? Vtique ad prius quod attinet, scriptura sacra nihil aliud dicit, quam nudum a Chamo visum Noachum, idque Chamum indicauisse fratribus. Leuioris profecto & parum verecundi animi indicium hoc ipso Chamum dedisse, nemo negauerit: num vero hoc tanti fuit, vt ideo, vna cum posteritate paternam experiri iuste poterit maledictionem? Longe grauiora crimina mitius, etiam a sanctissimis viris, punita fuisse, constat inter omnes. Irrisor & Ismael fuit, idemque homo petulantissimus, qui maligni erga Isaacum animi forte non vnum ediderat specimen; ideoque aegre quidem ab Abrahamo eiectus, neutiquam statim dirum aliquod & execrabile in eius caput pronuntiatum carmen est. Quae cum viderent interpretes, in varias admodum se verterunt partes, vt grauius aliquod Chami delictum inueniretur. Cum primis hoc egit vir ingenio & eruditione praestantissimus, HERMANNVS VON DER HARDT, qui Chamum adulterii crimine se polluisse, vimque

C 3

thoro

thoro patris, aut matre aut nouerca violata, intulisse contendit.\* Cuiusmodi quidem facinus & de Rubene *Gen. XXXV. 22. & XLIX. 4.* & Absalome Dauidis filio *II. Sam. XVI. 22.* commemoretur. Ex hocce attem incestu natum Canaanem, iram patris & execrationem merito expertam, exclusumque fuisse ab omni hereditate. Et irarationem simul reddit, cur in Canaanem pronuntiata sit execrabilis sententia, quae res ceteroquin interpretes mire torquet, & ad varias huius rei causas comminiscendas compellit. Sunt namque omnino, qui non tam Chamum quam Canaanem sceleris in Noachum perpetrati auctorem statuunt; eumque adeo *vers. 24.* per filium Noachi minorem intelligi, contendunt. Quam sententiam post GERSONIDEM, ABEN-ESRA, THEODORETVM, SCALIGERVVM, aliosque defendit CHRISTIANVS SCHOTANVS,\*\* his maxime rationibus nixus. Eius, inquit, est poena, cuius fuit delictum. Canaan itaque cum punitus sit, is etiam peccauit. Nisi Iudaicum forte admittere commentum velis, quod ideo Chamo non potuerit maledicere Noachus, quia iam antea ei benedixerat Deus. Cur vero Canaanem potius, quam alium Noachi filium, paterna maledictio feribat? Indicare hoc putat scopum consiliumque Mosis, quod fuerit, causam exponere, cur Canaanis posterius ira Numinis profligati, sedibusque suis expulsi fuerint, quas Israelis occupauerit progenies. Nec tamen ira rem conficit SCHOTANVS. Cur nepos, filius

\* in ephemeribus philolog. discurs. II. p. 43. seqq.

\*\* in bibliotheca histor. sacrae V. T. aetate mundi secunda p. 39.

Ius minor vocetur, vix ratio aut exemplum afferri potest. Chamum recte ita vocari, palam est, quod minimus natu inter fratres fuerit. Accedit, quod delictum perpetravit, diserte Chamus vocetur, Canaanis pater v. 22. vt dubium non sit, quin idem intelligatur, dum per *filium minorem* auctor delicti describitur. Aliud vero delictum, quam quod scriptura designat, adferre, hoc vero est ad incertis se recipere coniecturas. Esto ergo, Chamum peccasse, remanet dubium, cur maledictione speciatim inuoluatur Canaan? Alii itaque respondent, Canaanem saltem fuisse participem delicti paterni, forte quod cum puer perulans & proteruus auum indecore iacentem vidisset, id Chamo patri extra tabernaculum nuntiaffet, primusque adeo Noacho dormienti procaciter illussisset. Haec Ebraeorum quorundam, itemque THEODORETI, PROCOPII GAZAEI, LYRANI, ABYLENSIS, aliorumque est sententia apud IO. HENRICVM HEIDEGGERVM. \* Rursus IO. CHRYSOSTOMVS, foecundissimi in coniectando, viringenii, ad Ebraeorum, a SCHOTANO iam profugatam sententiam prope accedit, in nepotem ideo deriuatam maledictionem, quod Chamo Deus iam benedixerat; quam benedictionem, maledictione contraria irritam reddere, religioni sibi duxerit Noachus. AVGVSTINVS denique non tam maledictionem, quam vaticinium, in hisce Noachi verbis spectandum, auctor est, de Canaanis sedibus suis aliquando expellendis, vt adeo cum Canaanis innocentia probe

\* in *hiflor. patriarchar. part. I. exercitat. XV. §. V. p. 629.*

be ista consistere queat comminatio. *Quaeritur*, inquit, \* *quare cum peccans Cham in partis offensa, non in se ipso sed in filio suo Canaan maledicatur? nisi prophetatum est, terram Canaan eiectis Cananacis inde & debellatis, accepturos esse filios Israel, qui venient de semine Semi.* Quae sententia licet magni iudicii viris se adprobauerit, non tamen & ipsa omne dubium eximi. Etsi enim non negetur, vaticinium quoque in Noachi verbis contineri, simul tamen causa istorum euentuum indicatur, maledictio Noachi, quam in pocnam denuntiauit ei, qui peccauerat, Chamo, filioque eius Canaani, licet non constet, an & quousque hic patris se obstrinxerit scelere. Ergo nec ita res ista expediri plane potest, semperque dubium & de criminis grauitate, & de imputatione eius, remanet.

§. XI. Haec cum ita se habeant, nouam plane rationem hosce nodos soluendi, ingressus est, vir longe celeberrimus PETRVS IYRIAEVS. Namque Chami illud peccatum pro typico habet, quod in se leuissimum fuerit, & sanctitati eius non obstiterit: in quod autem ob longe alias causas, execratio ista, filium praecipue ferrens, fuerit enuntiata. Et hac quidem occasione, suam de peccatis typicis sententiam prolixiori sermone aperit, quam paucis reuocare sub examen, cum hoc ad caput causae, quam disceptandam sumpsimus, pertineat, operae pretium fuerit. Sed iuuat mentem viri paulo plenius exhibere, tum & eo rectius de ea statui queat, tum & quia liber gallicana lingua scriptus, non  
omni-

\* *Quaest. XVII. in Genesim.*

omnibus, qui sacris apud nos litteris operantur, intelligitur. De Melchisedeco nimirum cum tractationem suscepisset, \* id magna animi contentione agit, ut euincat, sub hocce nomine latitare Chamum. Huic vero sententiae cum maximopere obster, vulgaris opinio de impietate Chami, hanc profligare strenue adgreditur, & Chamum vel inuitum, sanctissimorum patriarcharum ordini adscribit. Non equidem negat, a Mose & peccatum aliquod Chami; & vibratam ideo in eum patris maledictionem, commemorari; at hisce nondum a sua se dimoueri patitur sententia. Ad peccatum enim quod attinet, hoc in eo consistere, quod viderit nuditatem patris, idque fratribus suis indicauerit. Quod ipsum non possit adeo magnum crimen censer, etiam imprudentiam suam, reuerentiae erga patrem neglectum, immo & inuerecundiam hoc ipso prodiderit. Interim longe grauiora aliorum in diuinis litteris commemorari peccata, qui ideo ex choro sanctorum minime eliminentur. Nec comparandum hocce Chami facinus esse, cum incestu Lothi, adulterio & homicidio Dauidis, idololatria Salomonis, vitiisque variis Simsonis. Haec horum virorum peccata non obstore, quin sancti & beati reputentur, habeanturque pro typis & imaginibus Christi, qualis & Chamus fuerit, Melchisedeci quoque nomine notus. Quod si dicas, at istos poenitentia ductos admissorum, per fidem Deo iterum

D conci-

\* vid. *Hist. critique des dogmes & des cultes, bons & mauuais, qui ont été dans l'Eglise depuis Adam insqu' a Iesús Christ.* part. I. cap. X. p. m. 67. seqq.

conciliatos esse, respondet IVRIAEVS, nihil ob stare, quo minus de Chamo idem asseramus, quod illum istius proteruitiae & petulantiae poenituerit. De Lothi & Salomonis poenitentia, nihil diserte tradere sacras litteras, nec tamen ideo ea de re dubitandum esse. Sed, ut de tota re eo rectius statuatur, praesertim maledictione hocce peccatum Chami infecuta, doctrinam de peccatis typicis, omnino in subsidium vocandam cecidit.

§. XII. Deum nimirum, antiquis temporibus, non modo Messiae eiusque actionum, sed & aliorum euentuum in nouo federe futurorum, imagines atque typos extare voluisse. Hinc & quae bona, & quae mala sunt noui testamenti tempore, iam in veteri testamento per typos fuisse adumbrata, atque praesignificata. Adeoque & plurimorum peccata, in diuinis commemorata litteris, fuisse peccata typica. Eiusmodi fuisse fratricidium Caini, quo hominum huius seculi mores fuerint accurate repraesentati. Namque & horum hoc esse opus praecipuum, ut veram ecclesiam vexent, lacerent, opprimant, & fixas perennesque in hoc mundo sedes quaerant, ad exemplum Caini condentis primam ciuitatem. Fuisse istud Caini peccatum equidem & in se longe grauissimum, quod proprium velut & peculiare ei sit inter peccata typica, quae ceteroquin maximam partem in se leuiores, nec vilius momenti, longe grauius quid & execrabilius denotent. Habere se namque peccata typica & symbolica eodem modo, ut reliquos typos ac imagines, qui promuntiant ipso apostolo sententiam, *umbrae saltem sint*, adeo-



adeoque ab ipso corpore, quod exhibent, multum differunt: hinc & in iis umbram saltem atque speciem eius peccati, quod exhibent, conspici, minime rem ipsam. Ad typum etiam atque imaginem haec sufficere. Hoc autem ne frustra dixisse videatur IVRIAEVUS, exemplis quibusdam istud confirmare annititur. Primo itaque prouocat ad Esauum, ius primogeniturae vendentem. Quod eius peccatum mere typicum fuisse autumat, indeque porro concludit, longe illud fuisse lenissimum, si modo peccatum fuerit. Inepte equidem & ridicule egisse Esauum, sibi que persuasisse, quod cito meriturus esset, cum tamen Iacobus aequae mortis periculo fuerit obnoxius, impietatem & crimen in hac minime se videre actione. Saltem alios etiam sanctissimos patriarcharum, longe atrocioribus vitiis se commaculasse. Vocari equidem Esauum a Paulo apostolo *profanum*, sed *typice*, quod fuerit imago illorum, qui ob mundi delicias coelestia bona in minimis ponunt, eo quidem modo, quo sacrificia vereris testamenti vocentur *propitiatoria*, non ac si per se vim propitiandi placandique Numen habuerint, sed quod typum ac imaginem exhibuerint, sacrificii istius propitiatorii, quod pro hominum genere obtulit Christus seruator. Par ratione & Esauum reprobatum dici *typice*, non ac si ipse reuera reiectus atque reprobatus fuerit, sed quod typus sit & imago illorum, qui reprobantur. Namque de salute Esau non esse dubitandum: saltem temeritatis notam merito incurrere, qui tam prompti sunt ad damnandos veteres, quos tamen scriptura disertè non damnet, & quorum vita & facta nobis penitus

tus perspecta haud fiat & explorata. Alterum ad quod prouocat exemplum, est, quod Lothi vxor posteritati reliquit. Eam, cum mandato diuino insuper habito Sodomam respexit, nihil admisisse, quod non humanum sit, & leuitati ac curiositati feminini sexus conueniens; nec adeo tam graue hocce crimen censeri posse. Deum nihilo secius grauissime eam puniuisse, corpore eius, vt vulgo ferunt, in salis statuam commutato. At istud non propter criminis, quo se obfrinxerit, grauitatem factum, sed quod & hocce peccatum fuerit typicum, imaginem exhibens illorum, qui a Deo ad regnum coeleste vocati, terrestrium bonorum amore abrepti, nunquam non diuinae uocationis immemores, suis cupiditatibus ad ea se conuertunt.

§. XIII. De Melchisedeco, non vna omnium est sententia. Et Hierarchitae quidem, seu Hieracitae, a conditore haereseos Hieracha seu Hierace ita dicti, inter alia commenta & hoc asserbant, ipsum Spiritum sanctum Melchisedeci nomine venire. \* In cuius sententiae originem inquirenti, in mentem venit, quod ex EPIPHANIO obseruauit LAMBERTVS DANAEVS, \*\* hanc haeresin, Allegoristarum, qui ab Origene orti sunt, propaginem esse. Cum ergo Allegoristae isti, cuncta scripturae oracula ἀλληγορικῶς interpretarentur, literalis relicto sensu, nihil mirum, quod ex Melchisedeco Spiritum sanctum fecerint. Aliam viam ingressi

\* vid. Epiphanius haeres. XLVIII. Theodoretus lib. II. haeret. fab. Augustinus de haeres. cap. XLVII.

\*\* ad Augustin. de haeres. cap. XLVII.

gressi Melchisedeciani, auctore Theodoro quodam argentario orti, qui Melchisedecum, non hominem, ut AUGUSTINVS ait, \* sed virtutem Dei esse arbitrati sunt. Idque pessimo consilio. Namque hanc Dei virtutem Christo ipso & Dei filio potentior, augustior & felicior esse docuerunt, ad cuius imaginem & typum, Christus ipse fuerit a Deo factus. Cui errori etsi comparatio Christi & Melchisedeci *Ebr. cap. VII.* male intellecta, occasionem praebuisse videatur: ex eodem tamen loco refellitur quam rectissime, cum simul Christum Melchisedeco longe fuisse superiorem ibidem ostendat apostolus. Rursus apud EPIPHANIVM \*\* nonnulli autumarunt, filium Dei specie humana, ea ipsa quidem forma, qua deinde inter mortales versatus est, Abrahamo apparuisse, nomineque Melchisedeci insigniri: ut ORIGENES contra & DIDYMVS ALEXANDRINVS, \*\*\* Melchisedecum Angelum fuisse credant. Sed ut hos quidem refellit apostolus ipse, docens discrete, sacerdotem fuisse Melchisedecum, quod angelis non conuenit, ita conticescere utrosque iubet, dum aperte satis indicat, hominem fuisse eum a filio Dei distinctum, quippe ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τῆ θεῆς, *assimilatum filio Dei. Ebr. VII. 3.* Nihilo fecius sententiam hanc, Melchisedecum ipsum fuisse filium Dei, in lucem reuocauit, & mirifice exornauit elegantiorum litterarum peritissimus vir PETRVS CVNAEVS, \*\*\*\*

D 3 tum

\* *cap. XXXIV.*

\*\* *haeres. LXVII.*

\*\*\* *ap. Hieronymum ep. CCXVI.*

\*\*\*\* *lib. III. de republ. Ebraeor. cap. III.*

tum ab aliis, tum ex instituto ante biennium ideo re-  
 futatus a MELOHORE LETDBECKERO. \* Celebrata, ut  
 reliquos nunc mittam & plerorumque ex Ebraeis do-  
 ctoribus auctoritate firmata sententia est, Melchisede-  
 cum ipsum fuisse Semum, Noachi filium. \*\* Cui &  
 plurimi ex christianis doctoribus adstipulantur. Nec  
 reiiciendam eam plane ipse IVRIAËVS censet: saltem  
 rationes, quibus vulgo oppugnetur, tanti non esse, ut  
 eam evertant. Non utique repugnare temporum ra-  
 tiones, quae non obstant, quo minus Sem adhuc po-  
 tuerit esse in viuis. Id vero plane ineptum esse, quod  
 nonnulli vrgeant, cum a Paulo dici ἀπόστολος, ἀρχιερεὺς,  
 ἀγενεαλόγητος, cum tamen de parentibus & genealogia  
 Semi satis ex scriptura constet. Quo minus tamen  
 huic subscribat sententiae, hoc obstare ait, quod *Ebr.*  
*VII. 13.* alterius generis fuisse dicatur, qui decimas ab  
 Abrahamo acceperit. Ita enim verba ista reddit: *que*  
*celui qui n' estoit pas de meme race avec eux auoit dimé*  
*Abraham.* Et hinc porro concludit, cum Abrahamus  
 ex posteris Semi fuerit, non potuisse eum alterius ge-  
 neris vocari, siquidem Melchisedecus ipse fuisset Se-  
 mus. Ad quod accedat, quod Sem cum posteris in  
 Chaldaea, non in Cananea habitauerit; cum Mel-  
 chisedecus contra rex fuerit Salemi. Vltimam hanc  
 non ego contemnendam plane iudico rationem. At  
 ad priorem quod attinet, non video, cur vir doctissi-  
 mus, vocem Φυλῆς, quae in Graeco est, transfulerit, per  
 race,

\* de republ. Ebraeor. lib. II. cap. II. p. 50. seqq.

\*\* vid. cum primis Matth. Fridericus Beckius ad Tragum. I. Paralipom. cap. I. p. 19.

race, quae genus significat. Sane & IO. CLERICVS, & RICHARDVS SIMON, vterque in versione Gallica noui testamenti \* eam reddunt per tribu. Quae significatio & loco huic exacte conuenit, cum hoc saltem velit Paulus apostolus, Melchisedecum non fuisse ex tribu Leui, vt recte etiam IO. BRAVNIVS obseruat. \*\* Quicquid vero huius sit, concedemus haud difficulter, Melchisedecum non fuisse Semum: num ideo statim Chamus fuit? ita quidem sibi persuadet IVRIAEVS, qui cum supponat, a se euictum, Melchisedecum vnum fuisse ex filiis Noachi, nec tamen Semum: inde tandem infert, non alium eum fuisse, quam ipsum Chamum. Et fateor sane, probare eum voluisse, Melchisedecum vnum fuisse ex filiis Noachi. Quod si euicisset, res vique confecta foret. Illud vero est, quod abnuimus. Namque esto, quod primo loco vrget, sacerdotii ius fuisse penes primogenitos, titulumque *summi sacerdotis Dei*, non nisi in eos cadere, qui eminentiori gradu ius sacerdotii sibi vindicare potuerint, capita scilicet plurium familiarum: esto, recte se habere, quae de diuisione orbis inter filios Noachi facta, asseruntur: num inde sequitur statim quemlibet ex filiis Noachi summum fuisse istius orbis partem, quam progenies eius inhabitauit, sacerdotem? Nonne alii iure primogeniturae sacerdotes existentes, alias ob rationes eminentiori quodam modo, summi sacerdotis titulo gaudere poterant? Quae cum ita sint, illorum mihi haudquam displicet sententia, qui ingenue quis Melchisedecus

\* h. l.      \*\* comment. ad h. l.

cus fuerit, se nescire profitentur: & curiosius inuestigare sibi religioni ducunt, quae scriptura sacra nobis non reuelauit. Faciunt hoc ex nostratibus GESNERVS, \* BALDVINVS, \*\* aliique, ex reformatis praeter alios IO. BRAVNIVS, \*\*\* atque MELCHIOR LEIDECKERVS. \*\*\*\* Et haec ideo monere necesse fuit, vt intelligeretur, superuacaneum fuisse IVRIAEI de peccatis typicis laborem, ad remouendum quod eius de Melchisedeco sententiae obstare videbatur, dubium, cum nondum euictum sit, Chamum eundem fuisse cum Melchisedeco.

§. XIV. Nec profecto etiam rationes pro excusando Chami delicto, id euincunt, quod cupit IVRIAEVS. Leue namque admodum ei peccatum videtur, quod viderit nuditatem patris: cum praeter imprudentiam, & reuerentiae erga patrem neglectum, inuerecundiamque, nihil in eo, quod reprehendendum sit, reperitur. Haec autem omnia, etsi ad legis diuinæ normam exacta, minime leuia censeri possint, neutiquam tamen, vt mihi videtur, id omne exprimunt, quod in isto delicto vidit, & execratus est Noachus, diuino spiritu simul ad vaticinandum impulsus. In grauitate enim & leuitate delictorum, non tantum ad externa, & περιττόεν, quae in sensus incurrunt, sed cum primis ad animi dispositionem, est respiciendum. Quod cum non semper in foro humano procedat, vbi in intimio. res animi recessus introspicere non licet, in diuino tamen

\* ad Genes. XIV. 28. seqq.

\*\* dissert. VIII. in epist. ad Ebr.

\*\*\* l. c. \*\*\*\* l. c.

men vel maxime obtinet, Deo vel profundissima quaeque explorante, & viris quoque diuino lumine repletis, longe intimius in ipsas animorum latebras penetrantibus, quam vulgo fieri solet. Saepius inde accidit, vt quod grauissimum censetur facinus inter homines, leuius fere reputetur comparatum illi, quod vix forte pro crimine habeatur, at ex animo maligno & vitiiis maximis cooperto, est profectum. Et rursus multa hominibus leuia videri possunt, quae ob latens animi vitium idque execrabile, longe sunt grauissima coram Deo, & illis etiam quibus notior forte est ista animi dispositio, quiae diuini iudicii normam sequuntur. Et ita haud dubio se res habuit in delicto Chami, eiusque filii Canaanis, quem eius fuisse participem admodum videtur verosimile. Ista vtique leuitas & inuerecundia, quae factio se prodebat, arguebat animum profanum, impium, impurum, honestatis contemptorem & execrabilem. Quem vnico equidem, quantum nobis constat, hocce factio prodidit, sed quem in alia longe turpiora facinora erupturum nouerat Noachus, nisi qualiscunque poenae metus, & recens destructi ob impietatem mundi exemplum, vrcunque obstirisset. Quae si recte considerentur, longe aliter de isthoc factio statuendum, intelligemus, & facile etiam reliqua, ab auctore eodem allata, diiudicabimus. Longe, inquit, grauiora aliorum in diuinis litteris commemorantur peccata, qui ideo ex numero sanctorum non eliminantur. Non id abnuo. At obseruandum, grauiora illa, vt nobis videntur, Chami delicto, quoad internam animi dispositionem comparata forte leuiora fuisse.

E

Deinde,

Deinde, esto, fuerint grauiora : egerunt tamen iidem poenitentiam, & ita locum inter sanctos, quo exciderant, iterum recuperarunt. Quare neutiquam nos feriunt, cum hocce Chami facinus minime cum incestu Lothi, adulterio & homicidio Dauidis, idololatria Salomonis, variisque Simfonis vitiis comparandum dicit, qui tamen hisce non obstantibus pro sanctis habentur. Namque de Salomonis & Simfonis salute, cum non desint, qui dubitent, de Dauide constat, quanto per eum admissi poenituerit criminis, quamque illorum omiserit nihil, quae eo pertinent, vt per fidem in Messiam iterum cum Deo conciliaretur. De Salomone autem & reliquis idem dicendum, eos aut sanctorum numero excidisse, aut tum demum in eum iterum referendos esse, si ponamus, & illos per poenitentiam & fidem mutasse mentem, moresque serio emendasse. Et ita sane typi Christi isti recte fuerunt : quanquam non video, quid obstet, quo minus in recte & praecclare factis typi Christi fuerint, in deteriora autem sua culpa prolapsi, inconstantiae & incredulitatis suae poenas dederint iustissimas. Hic autem rursus instat **IVARIAEVS**, de Chamo tamen idem asserendum, quod proteruitiae istius & petulantiae eum subierit poenitentia. Ego vero, tacente scriptura sacra, hoc minime asseruim. De Lothi enim & Salomonis poenitentia non perinde censendum. Namque Lothi incestus, cum ab imprudente & ignaro, fraudibusque filiarum circumuento fuerit commissus, vix videtur dubitari posse, quin admodum displicerit, viro cetera sancto, & rem omnem deinceps edocto. Longe aliter pronuntian-

dum



dum de iis, qui scientes volentesque & destinato con-  
filio crimine se obstringunt, quam de illis, qui ignari,  
inuiti, praeter opinionem aliquid admittunt. De his  
enim, quia non consentiunt in facinus, iure meritoque  
censendum, quod, si istud a se perpetratum resciscant,  
statim quoque detestentur: quod de illis, qui illud ad-  
probarunt, non aequè praesumendum. Ad Salomo-  
nem quod attinet, non equidem desunt, qui eum da-  
mnatum credunt; vt CYPRIANVS, \* AVGVSTINVS, \*\*  
CHRYSOSTOMVS, \*\*\* qui tamen alibi \*\*\*\* mitius de  
eo pronuntiat, aliique. At haud contemnenda sup-  
petunt argumenta, quae contrarium suadeant. Nam-  
que cum Ecclesiasten post omnes mundi vanitates de-  
libatas scripserit, id argumento est luculentissimo, vt  
reliqua nunc taceam, ad saniozem eum rediisse men-  
tem. Eiusmodi argumenta cum de poenitentia Cha-  
mi non prostant, liceat mihi de ea dubitare, donec lu-  
culentius euincatur.

§. XV. Non tamen abnuo, posse quodammodo  
& Chami peccatum, etsi in se grauissimum, inter typi-  
ca referri, at ea, quorum antitypus in scriptura sacra  
non indicatur, sed apta & commoda applicatione in-  
telligitur. Hinc & non potest vna omnium de anti-  
typo huius facti esse sententia. Posset aliquis existi-  
mare, referri eodem imaginem illorum, qui parenti-  
bus

E 2

bus

\* lib. de vnitare ecclesiae.

\*\* lib. contra Faust. cap. LXXXVIII.

\*\*\* T. V. serm. de poenitent.

\*\*\*\* ib. serm. contr. concubinas.

bus venerationem illis debitam non exhibent. Quam tamen sententiam refellit IVRIAENS. \* Typus enim cum imago sit rei alterius, non potest id ipsum esse, quod exhibet atque repraesentat. Iam in eo praecipue peccauit Chamus, quod sui erga patrem officii parum memor esset. Ita quidem rationes subducit. Illorum itaque potius per Chami facinus exhiberi vitia contendit, qui in arcana diuinæ penetrare prouidentiae, & ea reterege, quae abscondita esse voluit sanctissimum Numen, sibi non ducunt religioni. Hanc ipsam temeritatem impietatis omnis, fontem esse atque scaturiginem, cuius adeo typum imaginemque merito exhibuerit Chamus. Et huc sane vulgo istud Chami facinus trahi solet, me quidem non inuito, modo fateamur, praeter accommodationem quandam & similitudinem, nullum aliud huic rei subesse fundamentum. Nec tamen ratio IVRIAENS plane euincit, quo minus generatim qui erga parentes & superiores quosuis parum reuerenter se gerunt, hac imagine referri queant. Typus equidem id ipsum, qua numerum, idem non est cum antitypo, nec tamen obstat quo minus idem sit, qua speciem. Patientia Dauidis in aduersis, eadem profecto fuit cum patientia Christi, illa tamen recte huius dicitur typus. Ahitophelis perfidia, repraesentauit perfidiam Iudae proditoris, & nihil utriusque obstat, quo minus illa huius dicatur typus. Non procul autem a IVRIAENS sententia discedere videntur, modo eidem non suppeditauerint occasionem, qui

\* *part. I. cap. XI. p. 76.*

qui hocce Chami exemplum ad eos trahunt, qui auctoritatem patrum ecclesiae non satis venerari videntur. Saepius enim audias ab hominibus ineptis, in eos, qui errores & naeuos patrum sincere indicant, has coniiici voces: *pudenda patrum non esse retegenda*. Plane, ac si ista erga patres, quam iure illis debemus reuerentia, ad errores quoque eorum atque naeuos, satis interdum crassos, aut tolerandos aut defendendos nos obstringeret. Secus rem se habere, lapsusque grauisimos patrum dissimulari non posse, vel ex incomparabili opere IOANNIS DALLAEI, de vsu patrum, constat abunde, cui ringente licet atque indignante MATTHIA SCRIVENERIO, in sua pro ecclesiae patribus apologia, aliisque antiquitatis coecis admiratoribus, suum semper constabit pretium. Sed id nunc non agimus.

§. XVI. Ea potius, quae de peccatis typicis generatim differit IVKIAEVS, reuocabimus sub examen. Deum non modo Messiae, eiusque actionum, sed aliorum etiam euentuum, imagines & typos exstare voluisse, quibus tum commoda tum incommoda noui testam. adumbrata atque repraesentata fuerint, facile concesserim. Hoc res ipsa docet. Plurimorum quoque peccata in diuinis commemorata litteris non abnuo typica fuisse. Hoc tamen obseruandum discrimen, quod de quibusdam, ea typica fuisse, ipsius scripturae indicio constet, de aliis autem ex coniecturis quibusdam & typicac antitypi conuenientia, hoc sit colligendum. Ad posteriorem classem fratricidium Caini supra iam retulimus, cui adeo hac ratione facile locum inter peccata typica concedimus. At, quod

E 3

porro

porro additur, peccata typica maximam partem in se leuiores nec vllius momenti, longe grauius quid & execrabilius denotare, id vero cum grano salis accipiendum esse, existimo. Etsi enim contingere queat, vt grauius sit peccatum antitypi, quam typi, si tamen peccatum quod in typo conspicitur, in scriptura vt peccatum, quod poenam grauissimam secum trahat, describitur, id non ob *exerit* ad antitypum, sed ob ipsius peccati grauitatem foeditatemque fieri, existimandum. Non enim capio, quo pacto cum iustitia diuina hoc conciliari posset, si puniret hominem, eumque peccatorem grauissimum denuntiaret, non quod in se peccator esset, aut poenam istam promeritus esset, sed quia ex decreto diuino, typus & imago esset alterius hominis, longe grauiora perpetraturi. Hoc enim vero esset, aliorum peccata, qui post mille & quod excedit, annos viuent, illis imputare, & ideo, quod durius adhuc, eos punire. Quod naturae etiam legibus e diametro repugnat, quae vetant reum censeri aliquem ob aliorum delicta, quae imputari illi nullo modo possunt, multo autem minus propter talia eam puniri permittunt. At, sunt, inquit, typi & imagines saltem *umbrac*, ab ipso corpore distinctae, quod exhibent atque repraesentant: adeoque umbra saltem & species eius peccati, quod exhibent, in iis conspicitur, minime res ipsa. Id vero recte iterum intelligendum est. Umbrae vocantur typi, non ac si per se nihil aliud sint, quam umbrac, ita enim reuera nihil essent, cum umbra saltem sit priuatio lucis, sed ideo, quia, vt umbra certissime significat adesse corpus, cuius est umbra, eiusque

que etiam vtcunque figuram exhibet; ita etiam typi praeſignificant certum aduentum corporis, & qualicunque ſimilitudine, quale iſtud futurum ſit, ſed obſcure tamen, condocent atque declarant. Vt ergo ex eo, quod typi Chriſti vmbrae dicentur, non colligi poteſt eos reuera fuiſſe vmbraſ, hoc eſt, nihil, ita nec ex eo, quod peccata quaedam fuere typi aliorum, inferre licet, ea non fuiſſe peccata. Conſpicitur quidem in illis ſpecies & imago alterius peccati, ſed praeter eam ſpeciem in illis etiam vere reatus & culpae & poenae adefi, quia ſunt vera peccata, grauiſſa aut leuiſſa, non ex *σχεσε* illa ad antitypum, ſed ex natura ſua & pro ratione circumſtantiarum, quae illa comitantur. Exemplis vero, quae ſubiicit *IVRIAEVS*, & quibus idem euincere cupit, quod parum proficiat, id quidem ex dicendis patebit.

§. XVII. Primo itaque loco nobis occurrit Eſauus, Iſaaci filius, quem pro pulmento, fratri Iacobo ius primogeniturae vendidiſſe, ſcriptura memorat. *Geneſ. XXV. En ego vado, inquit, ut moriar, דלמה זה לי ככורה & cui bono haec mihi primogenitura?* Non leue hocce Eſau fuiſſe peccatum, ex eo colligas, quod ideo a Paulo vocetur *βεβηλος*, *profanus. Ebr. XII. 16.* Nimirum, inquit *IVRIAEVS*, propter typum, quia imago fuit illorum, qui bonis coeleſtibus & diuinis carent libenter, vt caducis, terreſtribus, perituris potiuntur. Quorum impietas prope abſit a furore. In ſe vero ſpectatum hocce Eſau peccatum longe fuiſſe leuiſſimum. Primogeniturae enim praerogatiuam alteri concedere, num tantum crimen? etiamſi id fiat pro re nullius  
mo-

momenti, immo pro pulmento. Nonne ab aliis etiam sanctissimis viris longe grauiora sunt perpetrata? Profanum autem seu βέβηλον ideo a Paulo vocari Esauum, quia peccatum eius typus fuerit hominum profanorum. Eodem scilicet sensu profanum vocari hocce peccatum, quo sacrificia veteris testamenti dicantur *propitiatoria*, non quod per se vim propitiandi placandique iram Numinis habuerint, sed quod typi essent magni istius sacrificii propitiatorii, quod pro nobis semel obtulit Christus. Nec aliud quid animo Esau, cum primogenituram suam vendidit, infedisse, quam illud, quod diserte professus est: *en ego vado vt moriar, & cui bono haec mihi primogenitura?* Qui eius sermo ineptus reuera & ridiculus fuerit, dum sibi persuasisse videatur, ac si cito moriturus esset, plane ac si non Iacobus quoque aequae mortis periculis fueris obnoxius ac ipse: *profanum* quid in hocce sermone non deprehendi. Ius sacerdotii primogenitis proprium, ob cuius contemptum eum profanum vocari, nonnulli arbitrentur, illi forte ne in mentem quidem venisse, cum haec verba eloqueretur; adeoque nullo istam opinionem niti fundamento. Profanum eum esse eodem modo, quo *reprobatus* sit, videlicet *typice*, iuxta illud: *Dilexi Iacobum & odio persecutus sum Esauum.* Fratres istos, Iacobum & Esauum, typos fuisse, liberrimi decreti diuini, quo in gratiae dispensatione, assumat alterum, alterum reiiciat. Non temere damnandos veteres, & ad Esauum quod attinet, cogitandum omnino, typos non statim illud ipsum esse, cuius sunt typi. Si de Esau i damnatione aliquid pronuntiandum esset, perse-

perspecta nobis & explorata accurate esse deberet historia omnis & vitae & mortis eius. Hoc ipsum vero esse, quod ignoremus. Ex eo, quod scriptura de poenitentia quorundam, qui peccarunt, nihil commemorat, nondum inferendum, eos non egisse poenitentiam. Ut enim peccati terrorem nobis inculceret Deus, visum illi, partem saltem vitae illorum, qui peccarunt, nobis proponere, nulla poenitentiae iniecta mentione. Ita Esau causam agit IVRIAEVS.

§. XVIII. Quicquid autem dicat vir doctissimus, non tamen mihi, nec alii etiam credo, persuadere facile, tam leue fuisse illud Esau facinus, ac illi quidem videtur. Primogenitorum in gente Ebraea, non vna erat praerogatiua atque *עֲדָוָה*. Speciatim vero primogenitus, ut reliqua nunc taceam, singularem benedictionem patris, & longe vberiore ac foecundiorum, quam ceteri fratres, obtinebat. Proprium quoque ei erat ius sacerdotii: quam etiam Ebraei quidam doctores afferunt rationem, cur Iacobus tantopere ius primogeniturae expetuerit. \* Atque ex Ebraeorum traditione hoc refert HIERONIMVS. \*\* In hocce autem iure sacerdotii primogeniti, prae reliquis fratribus, tria potissimum pulchra & eximia fuisse nonnulli obseruant. \*\*\* Primum, quod parentis superstitis loco sacrificare potuerit. Alterum, quod patre defuncto, necdum ex eadem familia digressis fratribus, primogenitus solus sacerdos fuerit. Tertium, quod fratribus in pro-

\* in *Beresbit Rabba* fol. 71.

\*\* *quaest. Ebr. in Genes. c. XVIII.* & alibi. add. omnino Seldenus, *de succession. in pontif. Ebraeor. lib. I. cap. I.*

\*\*\* vid. Heideggerus *hist. patriarch. part. I. exercit. I. §. XLX. p. 25.*

prias familias transeuntibus, adeoque sacerdotii ius ac-  
 quirentibus, primogenitus tamen ceteris fratribus,  
 quamvis sacerdotibus, in dignitate sacerdotii anteuerit.  
 Hac ipsa autem ratione, sacerdotii ~~etiam~~ minime erat  
 mere temporalis, sed, cum qui isto rite fungebantur  
 munere, non poterant non prae reliquis Deo chari esse  
 atque accepti, dubium non est, quin eos praecipue etiam  
 bonorum spiritualium, quippe quorum curam ma-  
 xime habebant, fecerit participes. Sane sacerdotio ma-  
 ximum pretium ipse statuit Deus, ob fructuum inde in  
 mortales redundantium praestantiam, minime autem,  
 ac si ex dignitate ac honore homines meriatur. Quae  
 cum ita sint, Esauus animum ingratisimum, leuissi-  
 mum, diuinorum beneficiorum, terrestrium coelesti-  
 umque contemptorem, primogeniturae ius vendendo,  
 prodebat aperte. Hoccine tibi leue peccatum viden-  
 tur? Addunt alii intemperantiam eius, & gulam, quae  
 tanta fuit, ut res maximi momenti, ius sacerdotii &  
 adoptionis in hereditatem ecclesiae, floccifaceret,  
 modo cupitis potiretur. Quod enim nonnulli pu-  
 tant, eum praesentis ob famem mortis metu impul-  
 sum, etiam pretiosissimo ceteroquin cimelio vitam re-  
 dimere voluisse, & a conditione familiae Isaaci, & a  
 pietate Iacobi alienum, cumque omni fundamento de-  
 stituatur, inter commenta referendum est. Accede-  
 bat praeterea iusiurandum, sine praegnantia causa adhi-  
 bitum, quibus profecto impietatem suam vanitatem  
 que magis prodebat. Quam eius impietatem non-  
 nulli ex doctoribus Ebraeorum quoque agnoscunt, spe-  
 ciatim R. SALOMO HIARCHI. Thargum vero Hieroso-  
 lymi-



lymitanum diserte: *contempsit Esau primogenituram, מְרַחֵק בְּעַלְמָא דְּבִנְיָ וְשׁוֹכֵץ אֶת חֵלְקָא דְּבִנְיָ* & *stoccipendit partem futuri seculi*, sed quod additur, *negavitque resurrectionem mortuorum*, rursus sine scripturae testimonio asseritur. Atque hoc iure opponimus ABRAHAMO ABEN-EZRAE, qui spretum primogeniturae eius, de contemptu bonorum temporalium interpretatur, quod paternas opes, tanquam exiguas & tenues despexerit. \*

§. XIX. Nullum itaque dubium est, quin iure meritoque Esauus a Paulo dictus fuerit βέβηλος, *profanus*. Per profanum enim, atque *pollutum*, hanc vocem explicant veteres. Hinc βέβηλος est *profano*, *contamino*, *usativo*, ut exponunt HESTCHIVS atque SYDAS. Tales fuerunt, qui morbo, contagione, aut crimine polluti, non audebant ingredi in templum, sed foras stare cogebantur, ideoque *profani*, quasi *pro fano*, seu *extra fanum stantes*, vocabantur. Arcere enim a sacris homines impuros, & vitis contaminatos, etiam gentiles solebant: & apud christianos a communione & consortio sanctorum, iidem excludebantur. conf. I. Tim. I. 9. IV. 7. II. Tim. II. 16. Apoc. XII. 15. Iam si quaeratur, cur Esauus hic βέβηλος vocatur, plerorumque interpretum haec est sententia, ob spretum ius primogeniturae, cui annexum fuerit ius sacerdotii, eum ita adpellitari. Certe, cum, si usum spectes, religionis & pietatis contemptorem ea vox denotet, de Esauo videatur rectissime usurpari, qui bona etiam spiritualia & benedictionem diuinam posuit in minimis. ESTIVS

\* vid. Heidegg, *hist. patriarch. part. II. exercit. XII. §. IX.*

βέβηλον exponit adeo mundanum, carnalem, & ventri deditum, vt spiritualia non curet, sed negligat, ac parvipendat. Cui suffragatur ex nostratibus, GERHARDVS, ex veteribus CHRYSOSTOMVS atque THEOPHYLACTVS. \* SEBASTIANVS autem SCHMIDIVS, HVNNII vestigia legens, cum βέβηλον per religionis contemptorem exposuisset, in eam ingreditur sententiam, hac voce designari peccatum in Spiritum sanctum, quo quis contra conscientiam fidem veram atque religionem contemnit, repudiat, persequitur, atque blasphematur. Cumque de Esauo, quod in Spiritum sanctum peccauerit affirmari nequeat, non de ipso, sed de illis, quorum typus fuerit, hoc intellectum cupit. Absit, inquit, vt hoc de Esauo statuamus, vts sicut, potius est typicum, vt sic loquar, h. e. quod typum rei, seu similitudinem typi dicit, non paritatem rei: vt sensus sit: ne quis sit contemptor fidei & apostata blasphemus in Spiritum sanctum, cuiusmodi in typo Esauo habemus. Typum aliorum fuisse Esauum, non abnuo, idque deinceps edifferemus. At cum illos, quorum typus fuit, ratione βέβηλον exerte hic cum eo comparet apostolus, crimen illud de Esauo praecipue, cum subiuncta ratio prorsus ad illum pertineat: qui pro cibo vno vendidit primogenituram suam. Quare illorum mihi potius probatur sententia, qui ob venditum ius primogeniturae, spretumque sacerdotium, & bona spiritualia neglecta, eum βέβηλον hic vocari contendunt, quibus ex recentissimis interpretibus etiam accedit IO. BRAVNIVS. \*\* notabilis

S. XX.

\* ap. Sebastianum Schmidium ad l. \*\* ad b. l.

§. XX. At obstare huic, quam proposuimus, sententiae, id maxime videtur, quod nonnulli sacerdotium olim inter praerogativas primogenitorum fuisse, negant. In quam sententiam post *OVTRAMVM*, ingressus est, vir clarissimus *CAMPEGLVS VITRINGA*. \* Qua de re vt recte statuatur, duo solent obseruare temporum interualla, quo primogeniti in veteri testamento, iure sacerdotii gauisi sint, alterum ante, alterum post electionem factam tempore Israelitarum, ex Aegypto educendorum. De posteriori interuallo, magno consensu & ebraei & christiani doctores contendunt, primogenitos Israelitarum, paulo ante exitum ex Aegypto diuina lege declaratos esse sacros, *Exod. XIII. 1.* & post exitum ex Aegypto memorari כֹּהֲנֵי יִשְׂרָאֵל *sacerdotes* בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *iuuenes filiorum Israel*, quibus oblationem pecudum Moses demandauit, *Exod. XIX. 22. & XXIV. 5.* qui vix alii esse possint, quam primogeniti, quia his vt Deo sacris, opera sacerdotii optime conueniebant. Leuitas etiam deinceps dici assumptos fuisse in locum primogenitorum: vnde constat, primogenitos ante id tempus sacris religionis administrandis, fuisse admotos. In primo autem interuallo, quod sacerdotii praerogatiua gauisi fuerint primogeniti, vel ex hoc Pauli oraculo, de quo nobis sermo est, probare fatigant plerique. Vocari namque Esauum *βέσηλον*, quod *τῆ πρωτοτόκια* vendendo, exciderit iure sacerdotii. Haec autem omnia tanti non esse putat *VITRINGA* vt obstant, quo minus a recepta discedat sententia, existimet.

F 3

\* obseruat. sacrar. libr. II. cap. II.

fimetque, nec in priori, nec in posteriori intervallo, vlla sacerdotii praerogatiua gauisos Israelitarum primogenitos. Etenim ex eo, quod Deo dari vel consecrati dicantur primogeniti, eiusmodi quid colligi non posse; cum non in *sacerdotes*, sed velut in *sacrificia* Deo consecrati sint, eaque plane ratione in illorum locum substituti sint Leuitae. Leuitae inquam, sacerdotum famuli atque ministri, & quibus praec reliquis Israelitis nulla in templo fuit praerogatiua, non sacerdotes ipsi: & hos quidem Leuitas, Deo consecratos, consideratos itidem fuisse, vt sacrificia Deo ad aram oblata. Et sic porro contendit, per *sacerdotes & iuuenes filiorum Israel Exod. XIX. 22. XXIV. 5.* non posse intelligi primogenitos, siquidem hi designati quidem a Deo, sed haecenus non magis consecrati fuerint, quam alii Israelitarum liberi, & si vel maxime consecrati Deo fuissent, nunquam tamen fuerint sacerdotes, adeoque nec hoc loco sacerdotum nomine venire possint. PELLICANT itaque atque COCCEN, vestigia secutus, per sacerdotes honoratioris in populo & seniores, & Mosi proximiores in regimine, intelligendos esse, non dubitat, qui & iidem fuerint, cum *iuuenibus filiorum Israel*. Ad prius autem interuallum temporis quod attinet, quod consecrationem primogenitorum praecessit, in eo sacerdotii iure gauisos primogenitos, non alio argumento probari posse, quam quod ex laudato iam loco *Ebr. XII. 16.* desumitur, quod lubricum satis sit atque infirmum. Vocari equidem Esauum *βέβηλος*, ob neglectas primogeniturae praerogatiuas: cum iis autem coniunctum fuisse ius sacerdotii, exinde minime sequi, nec dici hoc  
 ab

ab apostolo. Vocem enim  $\text{רִשׁוֹנִים}$  qua Moses vitatur, *Genes. XXV. 31.* versam ab apostolo per  $\text{πρωτοτόκια}$  in Ebraeorum scriptis denotare *duplicem portionem*, quam acceperit primogenitus in diuisione haereditatis prae fratribus, *Deut. XXI. 17.* vel ius praesidii siue principatus in fratres, *Genes. XLIII. 33.* nunquam ius sacerdotii. Ob omnes autem istas praerogatiuas, spretas, recte Esauum vocari  $\text{βέθλον}$ . Namque ad prius quod atinet, seu duplicem portionem, patriarcharum diuitias, vel temporalibus, vel spiritualibus bonis constituisse, iisque tum praesentibus, tum futuris. In his omnibus portionem amplissimam pertinuisse ad primogenitum, maxime tamen bona spiritualia, utpote longe praestantiora temporalibus, vel saltem illorum bonorum promissa. Haec autem repudiando aut contemnendo, non poterat non iure censerī  $\text{βέθλος}$ , Esauus. Praeterea coniunctum erat, ut diximus, cum primogenitura ius principatus in fratres, cui innexa erat praerogatiua natalium Messiae, illa ex familia orituri. Qui ergo  $\text{τὰ πρωτοτόκια}$  spernebat, simul promissionem de Christo posuisse in minimis, & perinde censuisse iudicabatur, num ex se, an ex alio Messias aliquando nasciturus esset? immo vniuersam hanc seminis benedicti promissionem, non adeo magni fecisse videri poterat, quod improbi atque profani animi esse nemo dubitauerit. Hisce & alia addit clarissimus VITRINGA, pro eadem confirmanda sententia, quae prolixius afferre, nostri non fert institui ratio.

§. XXI. Haec itaque, quae commemorauimus, nostrae, ut dixi, obstare videntur sententiae. Sed vi-

des-

dentur : accuratius enim considerata non obstant. Namque, cum ipse VITRINGA fateatur, atque doceat, ob bonorum spiritualium, aut eiusmodi primogeniturae praerogatiuarum, quibus cum bona spiritualia coniuncta erant, contemptum, iure meritoque Esauum βέβηλον dictum, maximam criminis, quo se obstrinxit, atrocitatem gravitatemque concedit, quam omnibus manifestam fieri, nostra nunc vnice refert. Ad hanc itaque, de qua disceptamus causam, hoc sufficit, ut tandem perinde esse possit, siue sacerdotii simul ius repudiauert Esauus, siue non repudiauert. Praeterea, si nunc vel maxime contendere vellemus, Esauum etiam ob sacerdotii ius in minimis positum, βέβηλον audire, sufficeret quidem, ponere, tempore patriarcharum ad τα πρωτοτόκια etiam ius sacerdotii pertinuisse, quippe quo Esauus vixit. Quare eo magis quae de altero interuallo disputat VITRINGA suo loco relinquimus, immo parum abesse, quin hac in re calculum illi adijciamus, lubenter profiteamur, saltem argumenta, quibus primogenitorum ad sacerdotium consecratio post egressum Israelitarum ex Aegypto, probatur, extra omnem nequaquam posita esse dubitationem, arbitramur. Nec tamen sine ratione, de priori quidem interuallo a viro doctissimo dissentimus : modo ille reuera a sententia, vulgo recepta, sed recte explicata, dissentiat. Concedit enim ipse *ius praesidii siue principatus in fratres* fuisse inter primogenitorum praerogatiuas, idque colligit ex *Genes. XLII. 33.* Ita vero si res se habuit, omnino etiam ius sacerdotii. Namque hoc cum principatu sua natura semper coniunctum est, &

& coniunctum semper apud veteres etiam fuit. Hinc illud VIRGILII: \*

*Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos*

Ad quem locum SERVIVS: *Sane maiorum haec erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos, unde hodie imperatores pontifices dicimus.* Sacerdotium utique consistit in quadam sacrorum directione, quae intuitu integri populi, non potest non illi convenire, qui & in reliquis habet facultatem actiones populi dirigendi, hoc est, summo imperanti, intuitu familiae autem, illi, qui est caput & princeps familiae. Est equidem cultus Numinis, ex eorum numero, quibus quisque per se fungi debeat, cum nemo alterius fide vivat, sed cum nonnulli in eum prius statum deducendi sint, ut colere rite Numen queant, nonnulli rite confirmandi & magis instruendi, generatim autem cum plures in cultu externo concurrunt, ordine, moderatione & directione opus sit, manifestum est, hunc non posse plane a religione abesse. Unde & patet, praecipue quidem ius sacerdotii olim in directione quadam sacrorum domesticorum constituisse, simul tamen in eo, ut sacerdos ob istam praerogativam, in sacrificiis, precibus, aliisque externi cultus partibus, exemplum praeciret reliquis. Quae officia secundaria in populorum directoribus, quod nimis operosa essent, seiuncta tandem sunt, a praecipuo sacerdotii munere, & sacri ordinis viris demandata, ipso iure sacerdotii, seu dirigendi sacra, semper penes imperan-

G

ran-

\* *Aeneid. lib. III.*

rantes manente, & illis qua talibus, conveniente. Et ita se res habuit apud patriarchas, vt ille qui familiae princeps esset, simul esset sacerdos, quilibet scilicet paterfamilias in sua familia. Patrem autem familias in hoc iure sacerdotii, nunquam a principatu separando, excipiebat filius primogenitus, idque ea ratione, vt patre absente & praepedito eius vicibus fungeretur, per se autem hocce iure gauderet mortuo patre, priusquam familia dissolueretur, aut dispertiretur in plures. Diuisa namque in plures familia, quilibet fratrum, qui nouae familiae caput euadebat, cum principatu etiam ius sacerdotii in eadem accipiebat familia. Vt adeo lubens fatear, reliquos natu minores filios, a iure sacerdotii non fuisse plane exclusos, hoc tamen cum principatu, specialiiori quadam ratione, pertinuisse ad primogenitum. Qua ratione, si istud *ius sacerdotii*, cum principatu coniunctum, explicetur, vt explicari omnino debet, vel ipso tandem fatente clarissimo VITRINGA, recte inter primogenitorum refertur praerogatiuas. *Sed*, inquit, *si laudatissimis viris placet hoc modo defendere hanc praerogatiuam primogeniturae, tum putem eos nobis rem sene concedere, nomen tamen, ne veteribus iniuria fiat, qui adeo fortiter hoc dogma vrserunt, retinere velle.* Immo ego putem, cum non aliter intelligi queat, haec praerogatiua, nisi alicui constitutum sit serio desipere, ad impugnandam eam, omnem frustra insumi operam. Nec tamen putat, hoc pacto singularem adeo quoad sacerdotium, primogenitorum prae reliquis fratribus, fuisse praerogatiuam. Ego autem insignem fuisse putō. Erat enim sacerdotium istud pars principatus, quem primogenitis asserit



ferit ipse VITRINGA. Ut ergo ipse principatus praerogativa erat, minime contemnenda, ita & quod ex eo fluebat, ius sacerdotii. Si ergo regeras, ius sacerdotii certo modo ad reliquos etiam fratres pertinuisse, saltem cum dissipata paterna, peculiarem quisque familiam constitueret, adeoque non fuisse in eo insignem adeo primogenitorum praereliquis ἐξοχήν, de principatu idem ego dixerim. Interim satis est, quam diu familia coniuncta fuit, primogenitum & principatu & sacerdotio re ipsa gauisum fuisse, unde non poterat non magna & in primogenitum ipsum, & in eius posteros, si forte in unam gentem familia ista excreveret, quod in Israelitis videmus, redundare dignitas. Et hinc facile ad reliqua VITRINGAE argumenta responderi potest: quibus non diutius immorabimur. Hoc saltem adiicimus, cum τὰ πρωτοτόκια in diuinis litteris memorantur, non necesse esse, ut diserte sacerdotii iniciatur mentio, cum ipse primogenitorum principatus non potuerit esse, sine iure sacerdotii.

§. XXII. Facessat itaque, ut nunc ad caput causae nostrae redeamus, ista IVRIAEI expositio, qua non alio sensu Esauum βέβηλον vocatum contendit, quam quo sacrificia quaedam veteris testamenti dicta sunt *propitiatoria*. Namque diuersam admodum sacrificiorum & peccatorum typicorum esse rationem, res ipsa docet. Sacrificia ista propitiatoria, per se nullam vim placandi Numen habebant, sed eam accipiebant, a merito, quod exhibebant, Christi. Ergone tu asseres, peccata typica per se non fuisse peccata, sed tantum ob antitypum talia credita fuisse? Id vero inde omnino sequitur, si

par sit peccatorum typicorum, & sacrificiorum propitiatorum ratio. At, non aliud, inquit, Esauus, cuius primogeniturae venderet, in animo habuit, quam id, quod verba significant: *en ego vado, vt moriar, & cui bono haec mihi primogenitura?* Ineptus itaque & ridiculus saltem fuit, eiusmodi quid, quod cito moriturus esset, sibi persuadendo; non autem graui adeo scelere se obstrinxit. Ita quidem IURIAEVS. Sed esto, non aliud quid tum cogitasse Esauum, profanum impiumque animum iam satis arguebat, haec ipsa cogitatio. Nec ineptus adeo & ridiculus iste sermo est, vt IURIAEO videtur. Hoc enim sibi vult, vt ex Ebraeis doctoribus, iam bene obseruauit ABEN-EZRA: שכר יום ויום הוא מסתכן בעצמו כאשר יצא לצור שבח יתרגוהו החיות ויחכן שימות קודם אביו *Quia quotidie periculis seipsum exponebat, quandoquidem egrediebatur ad venandum, forte a bestiis ipsum occidi posse, atque sic contingere poterat, vt moreretur ante patrem suum.* Nimirum de futura vita parum sollicitus, nec diuinas promissiones aut benedictiones curans, illud impiorum vsurpauit: *Edamus & bibamus, cras enim morituri sumus.* Pergit autem IURIAEVS, ius sacerdotii, ob cuius contemptum profanus dictus existimetur, illi forte ne in mentem quidem venisse. At venire omnino debebat & poterat. Non ignorabat cum iure primogeniturae connexum esse, ita sacerdoti: nec tam rudis aut ignarus erat rerum omnium, vt receptos aetatis suae mores nesciret. Cur ergo, cum ius primogeniturae venderet, illi non in mentem venisset, quod cum eo iure

re

re connexum esse non ignorabat? Nec longo adeo tempore, aut diuturna meditatione ad hoc opus erat. Quin iam antea hoc eum secum statuisse, firmiterque praecepisse, ex prompta ista responsione conicias, non esse tanti ista Numinis beneficia spiritualia, qui ius primogeniturae secum vehebat, eorum causa ut dimittenda sint bona temporalia. Quare nec illud admiserō: *profanum* Esauum eodem modo esse, quo *reprobatus*, sit, iuxta illud: *dilexi Iacobum, & odio prosequutus sum Esauum*. Enimvero uti nondum euictum est, haec verba de reprobatione Esauī intelligenda esse, quod tamen ceu euictum hic ponit IVRIAEVS: ita posito, aliunde constare reprobatum Esauum esse, quod coniecturae haud contemnendae suadere videntur, ille sane non typice saltem, sed reuera propter incredulitatem suam finalem reprobatus fuerit: adeoque eodem etiam modo profanus in scriptura sacra dicitur.

§. XXIII. Ea vero de re, ut laeulentius constet, non quidem prorsus abnuimus, posse Esauum typum aliorum atque imaginem constitui, cum hoc non obstet, quo minus reus fuerit simul grauissimorum delictorum, quorum arguitur, & in quibus simul typum atque imaginem eum aliorum gessisse, agnoscimus. At cum ex illorum typorum genere sit, quorum anti-typos scriptura diserte non designat, licet generatim eos indicet, mirum non est, in diuersas hac de re abire sententias, interpretes. Nec in vno etiam actu, sed in variis, imo tota vitae serie aliquid typici in Esauo deprehendas. Ipsa illa inimicitia Esauī erga Iacobum, *συνηκόν τι* practulit. Id praeter alios agnoscit etiam

MELCHIOR LEIDEKKERVS. \* Imitatur, inquit, Cainum fratricidam, eodem malo genio ductus & seductus, typus hac sapientie posterorum, qui Iacobaeos sed frustra persequerentur, meritori iusta diuinæ iustitiæ supplicia, de quibus tanta prophetae. Non vero ipse Esauus solus, sed omnes eius posterii Idumaei ob odium, plus quam Vatiniatum, quo Iacobi progeniem profecti sunt, typum gerunt illorum, qui veram ecclesiam vexant, turbant, pessundatam plane cupiunt. *Psalm. CXXXVII. 7. add. Ezechiel. XXV. 12. Ierem. XLIX. 7. Thren. IV. 2.* Illustris est locus *Ioelis III. 29.* *Edom erit in desertum solitudinis, propter iniuriam filii Iudae, quia effuderunt sanguinem innocentem in terra eorum:* quem de Esau postérité minime capiendum ex eo colligit NICOLAUS GVRTLERVS, \*\* quod de iis temporibus loquatur diuinus vates, quibus iam Idumaei defierint esse populus peculiaris. *Obad. vers. 18.* Intelligi itaque oportere eos, quorum typum exhibuerint Edomaei. Ebraeos quidem doctores constanter de Romanis hoc explicare, at iste recte pronuntiat, cum *Idumaei eadem cum Israelitis stirpe sint procreati, illorum fuerint vicini, sed hostes immisericordes, sanguinem sitientes, rapaces, superbi, per eos Anti-christi asseclas, vt & sectatores, exhibitos fuisse, atque repraesentatos.* Nec aptior imago tum ad originem, tum ad mores, tum denique ad odium, quo veros Christi cultores prosequitur, qui infernalis genii afflatu percussus, Christo se oppo-

\* de republ. Ebr. p. m. 95.

\*\* theolog. prophet. cap. XLII, artic. X. p. 719.

opponit, delineandum, reperiri poterat. Haec autem alii vberius edisserunt. Propius ad nostrum institutum pertinet ille actus Esau, quo ius primogeniturae vendidit. De cuius antitypo non vna itidem est sententia. SEBASTIANVS SCHMIDIVS noster, etsi *βεβηλότηρα Ebr. XII. 26.* non tam de Esauo, quam de illis, quos repraesentauit, interpretetur, vt supra iam obseruauimus, existimat tamen Esauum typum fuisse illorum, qui in Spiritum sanctum peccant. Hinc, cum docuisset, in primogenitura vel maxime rationem fuisse habitam benedictionis de Christo nascituro, & hanc benedictionem contempsisse Esauum, cum primogenitura, addit: \* *Hinc praecipuum fundamentum typi habemus. Quemadmodum enim Esauus in primogenitura spreuit non tantum sacerdotium & regnum, sed & promissionem de Christo, ex illius, qui ius primogeniturae, inter patriarchas habiturus, semine, nascituro: ita peccantes in Spiritum sanctum in nouo testamento, Christum ipsum spernunt, malitiose abnegant, blasphemant, persequuntur. Vt ille, pro re leui, vno cibo: ita isti, pro rebus leuibus & mundanis.* HVGGO GROTIVS autem eos hic designari existimat, qui damni vitandi causa conuentus christianos deferebant, in quibus christiani tanquam sacerdotes Deo preces offerunt. \*\* Quam sententiam suo etiam calculo comprobatur HENRICVS HAMMONDVVS. \*\*\* Cum enim ex Ebraeorum doctoribus ostendisset, Esauum ob spreum ius primogeniturae profanum dictum, similiter profani, inquit, erant Ebraei christiani.

\* ad Ebr. XII. v. 16. \*\* ad b. l. \*\*\* ad b. l.

*christiani, qui ut vitarent exiguam vexationem, evangelii causa, deserebant cultum Dei publicum, ut apparet ex cap. X. Imo vero ab ipso christianismo deficiebant, ad quod scelus prius illud erat praeludium: adeoque sese exuebant iure sacerdotii, quod pertinet ad omnes Christianos, offerendarum nimirum Deo precum.* At nec HAMMONDI haec GROTHQVE, nec ista SEBASTIANI SCHMIDII, omnibus, ut credo, se probabit sententia. Namque potest aliquis excidere gratia diuina, turbare pacem & tranquillitatem ecclesiae, potest disseminare errores, qui ut radices amaritudinis germinent, & efflorescant in multorum perniciem, potest scortator esse, atque impurus, moribusque profanis praeditus, ut tamen nondum sit peccator in Spiritum sanctum, iuxta ea, quae nostri theologi, de indole atque ratione huius peccati, praecipere solent. Ad eos autem tantum hic respici, qui damni vitandi causa conuentus publicos deserebant, id quo argumento probetur, non video. Et si enim eos apostolus increpet *cap. X. 25.* non & hic statim ad eos respexit, cum & aliorum vitiorum in antecedentibus mentionem fecerit, eaque in Ebraeis nota uerit. Nec saltem, qui conuentibus christianorum publicis, non interest, sese exiit sacerdotio spirituali, quod ad omnes christianos pertinet, sed & alia ratione, cum illud sacerdotium spirituale latissime pateat, & omnem fere colendi Numen, rationem, complectatur.

§. XXIV. Singularis prorsus, & admodum speciosa de hoc Esauitici peccati antitypo est sententia IOANNIS SPENCERI, eaque digna quam referamus & expendamus curatius. — Cum enim in rationem decreti istius

istius apostolici, quo synodus Hierosolymitana, omnes christianos abstinere, a sanguine, suffocato, idolothyto, atque scortatione, iussit, prolixè inquisiisset, & erudite demonstrasset, haec omnia in gentium ritibus & institutis obtinuisse, atque gentilismi vel idololatriae fuisse causas, comites, signa, concludit inde, causam praecipuam decreti istius fuisse, vt hac ratione christiani non tantum a gentilismo, sed & suspitione gentilismi reuocarentur, omnibusque ita constaret, reuera eos communi gentium errori, idololatriae, nuntium misisse. Ita quippe nihil demum obstabat, quo minus qui ex Iudaeis conuersi erant, in arctiorem cum illis coalescerent amicitiam. Hinc itaque istud Pauli oraculum, de quo nobis nunc sermo est: *Prospicientes ne quis deficiat a gratia Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans obturbet, & per illam inquinentur multi: ne quis sit scortator, aut profanus, velut Esau &c.* ita explicandum censet: \* cauetes sedulo, ne quis \*\* ab euangelii gratia, ad ethnicismum defectionem faciat: ne qua veteris ethnicismi radix nondum penitus euulsa repullulet, & inde \*\*\* οἱ πολλοὶ fidelium vulgus, ethnicam pollutionem contrahant: &, vt explicatius loquar, ne quis inter vos fornicator oriatur, aut ethnice

H

pro-

\* *differtat. in Actor. XV. 20. quae lib. II. de legibus Ebraeorum ritualibus subiuncta est, cap. III. sect. I. p. m. 724.*

\*\* *Præpositio ἀπό, & etiam quae sequuntur, ostendunt, ὅτι ἐγένετο positum esse ἀπὸ τῆς ἀφιστάσεως. Beza ad h. l.*

\*\*\* *in manuscripto hoc loco est, μὴ ἀφιστῶσιν οἱ πολλοὶ, i. e. plebs, quae a sacerdotibus facile corrumpitur. Grotius ad h. l. obseruante eodem Spencero.*

profanus, qui vt Esau, ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, propter escam  
 aut discum vnum, in epulo scilicet idololatrico, iure  
 coelestis haereditatis excidat. Hunc itaque loci sen-  
 sum, ceteris interpretationibus praefendum censet,  
 non tantum, quod omnia bene cohaereant, & βρώσις  
 μιᾶ hic dicta, περὶ βρώσεως τῶν ἰδολοθύτων commo-  
 de satis intelligatur: sed & quod Gnostici hic tacite  
 perstringi credantur, qui fornicationis & epuli idolola-  
 trici lenociniis, multos ad fidem amplectendam nuper  
 adductos, ad veteris ethnicismi vomitum resorbendum,  
 pellexerint. Addit, voces ῥίζα πικρίας, ethnici fer-  
 menti reliquias aliquot, nondum satis expurgatas, de-  
 notare commode, cum eadem *Deut. XXIX. 18.* vnde  
 depromptae sint, superstitionis Aegyptiacae radicem  
 quandam, Ebraeorum animis altius inhaerentem, si-  
 gnificent. Haec omnia vero licet erudite sint exco-  
 gitata, & veritatis quandam prae se ferant speciem, ac-  
 curatius tamen vix sustinebunt examen. Etenim, ne  
 quid de eo dicam, quod omnia tandem hic ad conie-  
 cturas redeant, meminisse oportebat SPENCERVM, apo-  
 stolo hic rem esse cum Ebraeis. Ab hisce vero pericu-  
 lum erat ἀποσασίας ad ethnicismum? Qui toto pe-  
 ctore ethnicismum execrabantur, vt vix christianos ex  
 ethnicis conuersos in societatem admitterent, hocce  
 tam diligenter mōnere debebat apostolus, ne ad ethni-  
 cismum deficerent? Esto, οἱ πολλοὶ sint vulgus fidelium:  
 Ebraeos tamen intelligebat, quia ipsa epistola ad Ebrae-  
 os scripta est. Si ad conuersos ex ethnicis verba face-  
 ret apostolus, non reiicienda SPENCERI coniectura es-  
 set, cum facile voluptatum blandimentis in pristinos  
 retrahi



retrahi errores potuerint. At de conuersis ex Iudaeis, suaque natura ab ethnicismo fatis alienis, hoc ne quidem cogitandum erat. Et ita inutilis & vana est omnis opera, quam in ista ornanda sententia, vir dominissimus insumpsit. Nec rectius reliquos laborem suum collocare puto, qui in specialiori quodam crimine, aut vitio, Esau antitypum quaerunt. Mea sententia, hi ipsi designantur, qui ipsis apostoli verbis describuntur, peccatores cuius grauiore, qui hoc ipso Spiritum sanctum excutiunt, seque gratia diuina indignos reddunt. Cum enim Ebraeos admonuisset, vt pacem cum omnibus, & vitae sanctimoniam confectarentur, sine qua nemo Deum videre possit *v. 14.* attendere eos ad illos iubet, qui aut dissensionibus atque erroribus ecclesiam turbant, aut vitae morumque impuritate, se minime sanctos esse demonstrant. Et horum quidem ultimo loco iniicit mentionem, primo impudicos seu scortatores nominat, quippe quorum praecae caeteris facile cognoscitur crimen, tum & reliquos omnes, sanctitati morumque innocentiae, non ita vt decet, studentes, generatim indicaturus, eos *βεβήλους*, adpellat, typumque illorum Esauum constituit, ad cuius quippe exemplum, terrestria, leuia, caduca, peritura, pluris faciant, quam coelestia, insigne habentia momentum, aeterna, ac semper duratura.

§. XXV. Alterum peccati typici exemplum praebet vxor Lothi. Haec singulari Numinis beneficio, cum marito atque filiabus, praesentissimo periculo erepta, inconsultae temeritatis poenam grauissimam dedit. Cum enim Lothus cum familia Sodoma discederet,

H 2

ret,

ret, angeli ad eos seruandos a Deo missi, inter alia mandauerunt, ne quis post se respiceret: אל תביט אחרך *ne respicias post te Gen. XIX. 17.* At huius praecepti immemor Lothi vxor, vrbisque forte & cognatorum ac fortunarum desiderio correpta, respexit illam, quam haud dubio inuita deseruerat, urbem, statimque vitae fecit iacturam. Leue hocce peccatum: poena contra ipsi peccato comparata, durior videtur doctissimo IURIAEO. Nihil inquit, quod non humanum sit, commisit, quod non facile pro sexus conditione facere potuerit. Leues enim natura, & ad curiositatem pronas, feminas esse, constat. Mitiozem itaque promeruit poenam: sed peccatum fuit typicum. Visum ita fuit diuinae prouidentiae, in singulare diuinae iustitiae exemplum eam statuere. Hinc ipse Seruator: *memineritis autem vxoris Lotbi. Luc. XVII, 32.* Quo ipso etsi graue aliquod eius crimen indicare videatur, reuera tamen hocce tantum fuisse typicum, imaginemque exhibere illorum, qui, cum diuinae obsequi videantur vocationi, mundo tamen vt valedicant, vix in animum inducunt, immo ad res mundanas, quarum blanditiis irretiti detinentur, subinde respiciunt.

§. XXVI. Sed nec ista, rem vti cupit, conficiunt. De peccato equidem ipso feminae huius, vti & de poena, non vna omnium est sententia. Peccatum namque hisce verbis exprimit diuinus scriptor; והביט מאחוריו *& respexit vxor eius retro eum.* Quod nonnulli explicant *retrosum.* Distinctius quidam ex Ebraeorum magistris, tradunt, quod ex gente Sodomaeorum orta, respexerit, vt videret, quid futurum esset

set cum domo patris sui. At alii magis apposite ad verba scriptoris, illud סמחריי vertunt, *post illum*: Lothum scilicet, quo quippe iam, urbem quam petebat ingressus, vxor eius manserit in itinere, & contra Numinis mandatum respectauerit Sodomam tunc, cum iam pluuia coelestis decideret. \* Neque enim, in itinere Lothi haec accidisse, inde colligunt, quod angelus se quicquam facere prius posse negauerit, quam Lothus urbem istam ingressus fuisset. Vterius progreditur vir longe eruditissimus HERMANNVS VON DER HARDT, \*\* cumque monuisset, *respicere, circumspicere*, in negotio vel via aut itinere, communi omnium hominum stilo, idem esse ac *pedem retinere, non pergere, moras neccere, reuerti*, tandem pronuntiat, Lothi vxorem, rei familiaris desiderio correptam, non tantum substituisse in via, sed & reditum ad urbem parasse. Deserere inquit opes, relinquere rem familiarem, abiicere vitae ac fortunae praesidium, non curare cognationem, filios filiasque & generos plures, insuperabile feminae. Deseruisset ergo eam maritum, vt diserte Moses affirmet: *subduxit se, ne amplius maritum sequeretur*, hoc, frustra retinere vxorem in officio, annitente. Angeli etiam forte diffisam verbis, incendium istud non tam propinquum credidisse, aut omnino dubitasse, an comminationem istam euentus secuturus sit. Et ita etiam Rultitiae suae eam dedisse poenas: igne enim coelitus

H 3. de

\* vid. Heideggerus *bist. patriarch. part. II. exercit. VIII. S. XXIII.*

\*\* *Ephemerid. philolog. diff. IV. p. 68.*

delapso, cum ipsa in perniciem rueret, correptam, vitamperdidisse, cuius aut praesidia aut solatia in vrbe ista quaerebat. In exemplum itaque singulare incredulitatis cum abiisset, monumentum aliquod publicum ei erectum, nomine מצִיב מלח a Mose insignitum. Quod quidem aliorum commentis, de nefcio qua statua falis, ad finem vsque mundi exitura, occasionem praebuerit, quibus praeter IOSEPHVM, acti quoque in transuorsum sunt IRENAEVS \* atque TERTVLLIANVS. \*\* Haec utique, si ita se haberent, cum ipsa sua temeritate atque proteruita, hocce mortis genus sibi attraxisset, insigni contra facinore animum imbrobum atque immorigerum prodidisset, poena nulla ratione grauior delicto censeri poterat, nec necesse est ad typicas hicce confugere rationes. Quicquid vero huius sit: in eo consentiunt omnes, grauiora quaedam animi vitia in hocce feminae facto sese prodidisse, Amor inconsultus patriae ac bonorum terrestium, animus ingratus & immemor tanti beneficii, quo praesentissimo periculo eripiebatur, idemque comminationum diuinarum contemptor, & quae causa horum omnium erat, incredulitas impietasque, in hocce facinore luculentissime conspiciebantur. Diuinis mandatis non gerere morem, maximum semper grauissimumque peccatum est: idem tamen longe grauius & execrabilius, cum speciatim, quod fieri velit, nobis Deus iniunxit. Tantum est vt veneficio comparetur

*I. Sam.*

\* *lib. IV. cap. LI.*

\*\* *carm. de Sodoma.*

*I. Sam. XV. 23.* Eiusmodi autem peccatum cum tot vitis coniunctum, si grauiori quadam & extraordinaria, si ita loqui fas sit, poena puniatur, num iniustum aut iniquum videri possit? Nec obstat, quod non semper in similia aut grauiora etiam peccata, ea ratione animaduertat Deus: sufficit, quod digna sint, quae ita puniantur, cum aeternae, quod temporalibus deest, facile compensent poenae. Frustra itaque dicitur, nihil eam commisisse, quod non humanum sit, aut a genio sexus sequioris alienum. Ita enim quaeuis facile excusari peccata possent. Commisit vtique, quod grauiissima animaduersione dignum erat. Nec iste mandatorum diuinorum contemptus, iste rerum mundanarum amor, in iudicio diuino leue crimen censeretur, etsi aliter hac de re pronuntietur in foro humano. Idque omnino arguit Seruator noster *Luc. XVII. 32.* ostensurus, quantopere noceat rerum mundanarum inconsultus amor. Nec tamen ideo nego, feminam hancce typum fuisse illorum, qui stulto seculi amore seipsos perdunt: immo hoc longe verissimum esse puto. Hoc saltem contendo, peccatum eius longe fuisse grauiissimum, poenamque istam eam plane promeruisse, si vel maxime typicas istas separamus rationes.

§. XXVII. Vt autem reliqua persequamur, inter illustria peccata typica porro occurrit, illud Achitophelis, quo vitam laqueo finiuit ipse. Namque tum in aliis quoque Iudae proditoris eum fuisse typum, plurimi ex theologis tradunt, speciatim autem ex insti-  
tu-

tuto euincit FRIDERICVS BALDVINVS. \* Ad quodnam autem typorum genus, num ad illos, quorum antitypus in scriptura sacra designatur, an ad illos, quorum antitypus, ex ipsa typi & antitypi conuenientia intelligitur, pertineat, non perinde certum est. Vtique si illos audiamus, qui in *Psalmo CIX.* sub Ahitophelis exemplo Iudam proditorem descriptum autumant, dubium non est, quin scriptura sacra de antitypo hocce nos reddiderit certiores. Et in hac quidem sententia versatur HVGGO GROTIVS, \*\* qui psalmum hunc Iscarioticum, ab ecclesia vocatum, ait, *quod in Achitophelem, vt credibile, scriptus esset, cui multa cum Iuda Iscariota communiã, cui propterea verba, quae hic posita sunt commate octauo, aptarunt apostoli Actor. I. 20.* At non in Achitophelem, sed ipsum Iudam proditorem totum huncce psalmum dictum esse, patres censent, ita vt nonnulli ibi triginta maledictiones numerent, iuxta numerum argenteorum, pro quibus Christus fuit venditus: quas ex iis ordine recenset, quem laudauimus FRIDERICVS BALDVINVS. \*\*\* Certe, quod de Achitophele hic loquatur Dauid, nullo idoneo documento probari potest, meraque est coniectura. Immo multa dicuntur, quae in Achitophelem non quadrant. De Iuda autem proditore, quod in hocce Psalmo verba fiant, ex ipso apostolorum testimonio, *Actor. I. 20.* certum est.

§. XXXIX.

\* in passione typica, seu libro vno typorum V. T. qui passionem ac mortem Christi adumbrant, typo VIII. p. 333. seqq.

\*\* in psalm. CIX.

\*\*\* h. c. p. 340.

§. XXIIX. Esto itaque hicce typus ex illorum numero, quorum antitypus ex ipsa conuenientia vtriusque inuestigandus est : \* operae tamen pretium fuerit,

\* Dissentit hic iterum Guilielmus Saldenus, qui Achitophel Iudae typum dici posse, negat & pernegat. *Posito autem iam*, inquit, *peccatum qua tale, rationem typi habere non posse, duo inde siuere consectaria palam est : primo, hallucinatos hactenus esse, quotquot Achitophel Iudae proditoris typum fecerunt.* Tum demonstrare annititur, nec qua personam, nec qua mortis genus, similitudinem inter Achitophel, & Iudam, intercedere : & si vel maxime intercederet, eam tamen non sufficere, vt vnus alterius typus dici possit. Haec summa est illorum, quae vir doctus prolixè disserit *rior. theol. lib. II. exercitat. III. sect. III. §. I.* Verum falsanimitur hypothesi, ac si peccatum, qua tale, non possit habere rationem typi. Secus enim se rem habere, ex iis, quae hactenus attulimus, abunde patet. Fallitur etiam, dum inter Achitophel & Iudam nullam esse similitudinem sibi persuadet. Equidem quod qua dignitatem & munus, & vitae conditionem etiam dissimilitudo inter vtrumque intercesserit, lubens largior. Sed ad typum sufficere, vt in quibusdam cum antitypo conueniat, iam supra obseruauimus. Parum itaque proficit, afferendo nonnulla, in quibus Achitophel & Iudas inter se non conueniunt. Namque Dauid itidem non in omnibus cum Seruatore nostro comparari potest, nec ideo huius desinit esse typus. Sufficit quod Achitophel atque Iudas inter se conueniant, & qua peccatum, quo vterque se obstrinxit, & qua mortis genus : quod luculenter a nobis probatur. De peccato res manifesta est, vt nec Saldenus negare audeat, frustra saltem excipiens, peccatum qua tale, non habere rationem typi. Ad mortis autem genus quod attinet, in vtramque hic se vertit

rit, vtriusque & Achitophelis & Iudae, tum peccatum, tum exitum considerare, vt pateat, non incommode illum huius constitui typum. Peccatum Achitophelis praecipuum summa eius erat erga Dauidem perfidia. Absaloni enim praeter ius atque fas regnum patris sui inuadenti, praesto & Ahitophel fuit, violata fide Dauidi data, eiusque secutus est partes. Immo improbi facinoris consiliis suis auctor extitit, dum Absaloni suasisit, vt concubinas patris vitaret, ipsumque patrem itinere defatigatum, subito opprimeret, interficeretque. *II. Sam. XV. 12. XVI. 25.* Non minor & Iudae proditoris fuit erga Christum perfidia. Tot beneficiorum ab eo acceptorum immemor, ad hostes eius infensissimos se confert, suppeditans consilia, monstransque viam, qua ratione capi Iesus posset, immo ducem & antesignanum facinoris se praebens. Vtriusque quin grauissimum fuerit crimen, nemo dubitauerit. Grauius tamen adhuc, vt ego quidem puto, in antitypo, quam in typo. Nihiloscius, quod mireris, si veteres audiamus, fuerunt, qui hocce Iudae facinus, laudarent, defenderent, saltem excusarent. Tam nihil adeo improbum & insanum est, quod non dictum factumque

partem. Mox dubitat, an Achitophel suspensio vitam finierit? Mox Iudam hac ratione periisse negat. Vtrumque sine ratione. Tandem eo se recipit, si vel maxime similitudo inter vtrumque deprehendatur, hoc non sufficere ad typum. Rursus perperam. Ad typos enim secundi ordinis, seu *illatos*, vt vocant, similitudo in grauioris praesertim momenti capitibus, omnino sufficit: nec reiciendos esse eiusmodi typos, contra eundem Saldenum iam supra probauimus.



etumue fit, a quodam mortalium. Inter Cainorum, qui & Cainiani, item Caianistae dicti sunt, errores & hoc refert AVGVSTINVS: \* *simul & Iudaeam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, asserentes, eum praescisse, quantum esset humano generi Christi passio profutura, & occidendum Iudaeis propterea tradidisse.* Quid vero mirum? cum pessimos quosque mortalium, Koram, Dathanem, & Abiramum, Sodomitas etiam & ipsum Cainum, laudasse perhibeantur, vnde & Cainianorum retulerunt nomen. Quod cum eiusmodi sit, vt fidem fere superet, ad eam insaniam progredi quenquam posse, facile dubitatio oriretur, annon forte per calumniam haec illis afficta sint placita. Namque ex ipsis AVGVSTINI verbis colligas, hoc eos forte sibi voluisse, ex proditione Iudae, dum ea promouit passionem Christi, ingens in hominum genus redundasse beneficium: ex quo tamen vt nullo modo sequitur, ipsam quoque proditionem laudandam, aut excusandam esse, ita an hoc inde collegerint, dubitari adhuc posset. Nec tamen ideo nega- uero, tam impia eos docuisse, cum experientia constet, eos qui sibi solis sapiunt, ad summum stultitiae gradum peruenire. Recte interim obseruat LAMBERTVS DANAEVS \*\* errorem istum, ex doctrina de prouidentia Dei perperam intellecta, ortum, quod non distinguetur in vno eodemque facto, opus hominis & directio diuina. Quae tamen directio & gubernatio diuina

\* de haeref. cap. XVIII.

\*\* ad Augustini l. c. p. 55.

na, qua malas etiam hominis actiones ad bonum finem dirigit, longissime abest a praedestinatione, quod non recte idem DANAEVS obseruasse videtur. Nonnulli tamen has, cur Caininiani Iudam magni fecerint, afferunt causas, quod viderit, daemonem passionem Christi impedire voluisse, ideoque ad hominum procurandam salutem, eum hocce suscepisse opus: aut vt alii volunt, ideo hoc ab eo factum, quod viderit veritatem a Christo subuerti. Quae, vtique, si verae sunt rationes, & impietatem & stultitiam horum hominum, abunde probant. quicquid huius sit, praeentes sibi in laudando Iuda habuerunt Cerinthianos, sequentes Marcionitas, vt auctor est IRENAEVS.\* Et si enim Iudae diserte tibi non faciat mentionem, Cainum tamen & generatim perditissimos quosque mortalium a Marcionitis laudatos, auctor est, in quorum numerum haud dubio & Iudas referendus. De Cerintho autem id testatur PHILASTRIVS,\*\* qui & peculiarem eorum haeresin constituit, qui Iudam honorarunt.\*\*\* Immo & Michael Balbus imperator, magno Iudam affectu profecutus dicitur, adeo, vt decreta ei apotheosi, beatis illum annumerare voluerit, si THEOPHILO RATNAUDO\*\*\*\* credimus. Sed & quendam ex Anabaptistarum cohorte, VVEKEVVVALES dictum, anno M DC XXXVII. simile quid

\* lib. I. cap. XXIX.

\*\* cap. XXXVI.

\*\*\* cap. XXXIV.

\*\*\*\* in Iuda proditore, p. 689. citante Ittigio de haeresiarchis sect. II. cap. III. s. V.

quid de probitate & salute Iudae commentum esse, & quod tradendo Christum, non peccauerit, commemorat IOANNES HOORNBEKIVS. \* Quos quidem omnes, si vera sunt, quae de iis treduntur, ipsi rationi indixisse bellum oportet, quippe quae perfidiam similiaque scelerata apertissime damnat. Ne dicam, quod ipse euentus comprobauerit, quam laudabile fuerit illud proditoris facinus. Peccauit itaque grauissime Iudas, & ratione peccati istius recte Achitophelis antitypus constituitur.

§. XXIX. Idem quoque vtriusque fuit exitus, idem mortis, quo perierunt, genus. Namque Achitophel neglectum consilium suum, indeque imminutam, vt putabat, auctoritatem, aegre ferens, accedentibus forte & conscientiae stimulis, ob iniuriam summam regi innocentissimo optimeque de se merito illatam, desperabundus, sibi ipse laqueo gulam fregit. Idem fecit Iudas proditor, videns vltima iam imminere optimo magistro, quem sua proditione hostibus tradiderat. Poenitentia namque ductus, aut in desperationem potius actus, praemium cruentum sacerdotibus restituit, ipseque laqueo vitam finit. Hoc enim illud ἀπήγγεστο apud Matthaeum, haud obscure innuit, cap. XXVII. 5. Cui non repugnat illud Lucae: πηνής γένομεν ἐλάκησε μέσῳ. Act. I. 28. Namque nihil obstat, quo minus, rupto forte laqueo, ex loco sublimiori, quem suspendio haud dubio destinauerat, praecipit, quem suspensio haud dubio destinauerat, praecipit factus, lapidique, aut arboris trunco, aut corpori cui-

\* in *summa controuersiar. lib. V. p. 368.*

dam duro & acuto, illifus, difrupus fuerit ipfe, viscera-  
que effuderit. Vt adeo aut ad miracula confugere,  
aut ad morborum varia ac diuerfa genera, non neces-  
fe fit. Scio quae hac super re clariffimo viro IACOBO  
GRONOVIO cum aliis viris celeberrimis, & haud ita et-  
iam pridem cum viro doctiffimo IACOBO PERIZONIO  
intercefferint lites, quas meas non facio. Id tamen  
puto ab illo, \* fatis euictum, vocem ἀπάρχεδα, ali-  
quando hanc admittere fignificationem, vt mortem  
violenta per laqueum denotet. Haec ipfa vero fi-  
gnificatio, huic loco perquam eft accommodata, facili-  
que negotio cum Lucae defcriptione conciliari potest:  
nullamque adeo video rationem, quae eam deserend-  
am fua deat. Ita ergo & qua peccatum, & qua poe-  
nam peccati, inter fe Achitophel & Iudas conueniunt,  
vt ille recte huius typus conftituatur. Neque genera-  
tim faltem in hifce inter fe conueniunt, fed & fpeciati-  
m in multis capitibus, quod FRIDERICVS BALDVINVS latius  
exequitur. Nec tamen ita conueniunt in omnibus,  
vt non in quibusdam difcrimen intercedat: cum & ce-  
teroquin in quibusdam faltem antitypus referat ty-  
pum. Nihil itaque obftat, quod Iudas non fit fepul-  
tus,

\* in exercitationibus academicis, de pernicio & cafu Iudae τὸ πᾶ-  
ραδόξῳ, Lugd. Batauor. anno M DC LXXXIII. & anno  
MDCCII, cum legitima & perfpicua, vt vocat, defenfione re-  
cufis. Quo anno & Perizonii, differtatio, de morte Iudae &  
verbo ἀπάρχεδα lucem adfpexit, in qua ea defendit, quae  
ad Aeliani hift. var. lib. V. cap. VIII. dixerat.

tus, etiamsi de Achitophele dicatur, quod sepultus fuerit, in domo patris sui. Quamquam & Iudam in agro suo sepultum nonnulli ferunt. *Post multa tormenta, inquit OECUMENIVS \* & ultiones, cum in suo praedio mortuus esset, prae foetore praedium illud desertum mansit, & non habitatum usque in hodiernum diem. Sed neque usque ad hoc tempus locum illum quisquam praeterire potest, nisi obturatis naribus.* Quae tamen dubia valde sunt, atque incerta. Nec desunt qui sepulchro caruisse corpus Iudae existimant. Eleganter ARATOR: \*\*

--- -- -- nullis condenda sepulcris  
*Viscera rupta cadunt, tenuesque elapsus in auras,  
 Fugit ab orbe cinis, non haec vacat ultio Iudae:  
 Quae suprema negat, vindictaque meritis iniquas,  
 Sic placitura venit. &c.*

§.XXX. A libris scripturae sacrae historicis, quibus hucusque immorati sumus, progredimur ad propheticos, in quibus magna observationum de peccatis typicis seges efflorescit. Sic ut Zionis, vel Hierosolymae, itemque Israelis ac Iudae nomine, ecclesia vera novi testamenti in iis designatur, ita Sodomae, Aegypti, Babelis, atque Tyri imagine, regnum Anti-christi, quod in Romana maxime eminuit ecclesia, exhibetur atque repraesentatur. In hisce enim urbibus populisque, ea regnarunt peccata, & per poenas insigniores iudiciorum diuinorum exempla conspecta sunt, ut quam aptissime

\* in cap. I. Actor.

\*\* lib. I. hist. apostol.

apertissime Anti-christi, eiusque factorum, typus, ab iis petatur. Recte tamen nonnulli obseruant, non omnia, quae de Aegypto, Babele, Tyro, in hisce vatum diuinorum monumentis extant, statim typice interpretanda esse. Nimis, si dicendum, quod res est, audacter hac in re versatur, vir cerera omni laude dignissimus, IO. COCCHEVS, eiusque discipuli; dum & vbique typos quaerunt, & antitypos quoad omnes *negi-doctis* determinate designant, vt non tam coniecturas, quam euidentes afferre demonstrationes videantur. Sic cum Babelis regem Esaias vates, vocet, *luciferum, filium aurorae, qui in corde suo dicat, ascendam in coelum, supra stellas Dei efferam sedem meam, & sedebo in monte conuentus, in lateribus aquilonis, ascendam super celsa nubis, assimilabor altissimo* XIV. 12. 14. in Romanum Pontificem haec prorsus quadrare sibi persuadent. Hunc ante casum suum fuisse *astrum lucidissimum, & filium aurorae*, qui iactauerit se cum ipso diduculo, siue prima aurora lucis euangelicae in tenebris mundi extitisse, & *in corde suo*, omnia scilicet agentem secundum propriam voluntatem, *loqui: ascendam in coelum, meopte consilio eximam me ab omni iudicio ecclesiastico & politico, cui subiecti sunt, qui stant in terra, & efferam sedem meam supra stellas Dei: thronum habebō, & in eo sedebo, stellis omnibus Dei, veteris nouique testamenti sacerdotibus atque ministris longe superior; & confidebo in monte conuentus, in templo Dei* II. *Thessal. II. 4. in lateribus aquilonis*, vbi erant mensae in quibus mactabantur sacrificia, *Ezech. XL. 39. & mensa panum propositionis, Exod. XXVI. 35.* id est geram

ram me vt sacerdotem ad id a Deo constitutum, vt offerat & offerri curet, pro peccatis populi, & sacramento panis dominici summa omnia attribuam. *Et ascendam in celsa nubium*, quae principium sunt roris & pluuiae, quibus verbum Dei comparatur, quod quidem ego arbitrati ac imperio meo subiiciam. *Et assimiler altissimo*, iuxta II. *Thessal. II. 4. ἀποδείκνυται ἐαυτὸν ὄτι ἐστὶ Θεός.* Ita quidem isti. Ego vero libenter illis accedo, qui secundum sensum litteralem haec diuini vatis verba, de Nebucadnezare, Babyloniorum rege capiunt: quod & res ipsa clarissime docet. Forte autem Nebucadnezar typus fuit Anti-christi? Non plane abnuerim: non tamen inde sequitur, eum vt Anti-christi typum ab Esaia hic describi. Interea fateor, nonnulla haud inepte ad Anti-christum, speciatim Romanum pontificem, hic accommodari: sique hic Nebucadnezar vt eius typus consideretur, hunc ex illorum tum esse genere, quorum antitypum coniectura potius, quam scripturae demonstratione, assequimur. Vt merito adeo, cum viro clarissimo HERMANNO VVIT-  
sio \* dubitem, an Romanensibus persuaderi queat, de Romano hic fieri verba Pontifice.

§. XXXI. Facere non possum, quin vnicum adhuc adiciam. Contendunt isti *Esaiae XXIII.* sub emblemate Tyri, vrbis *mercatrixis & coronatrixis*, proponi Romam, quae mercaturam exerceat spirituales, & imperatoribus, regibus, principibus, diademata imponat.

K

Id

\* *Miscellan. sacror. part. I. lib. III. cap. II. §. XVIII. & cap. IV. §. C.*

Id quidem non male, vt ego opinor : modo iterum non primi ordinis typum intelligamus, cuius antitypus ex scriptura constet, sed secundi ordinis. Nec hic subsistunt, sed in applicatione ad specialiora progrediuntur. Is, inquit, qui a terra *Kittim*, Tyro & mercatoribus ipsius, quasi ad auxilium apparuit, sed *domi contractus est*, *vers. 1.* est Carolus V. imperator, qui Romanis antistibus apparuit, vt faustum aliquod sidus, & oppressurus grauem Romanae Tyro, Lutherum videbatur, sed seditione in Hispania coorta domi concussus est, & coactus anno xxiii in Hispaniam reuerti. *Arx Tyri uasata, v. 14.* est tum caesar, tum concilium. Caesar, per Solymannum, Mauritium ac federatos, & Henricum II. Gallorum regem, in ordinem redactus est. Concilium bello Mauricii dissipatum est, anno MDLII. *Obluio, cui Tyrus tradita est LXX annis vers. 15.* conuenit in id tempus, quod secutum est transactionem Passauensem, factam eodem anno MDLII. Nam inde Roma desit merui, ac admirationi esse, ac paulatim creuit eius vilipendium. *Carmen meretricium*, quod post LXX annos in Tyro cantatum fuit, significat laetitia & gloriationem Romanorum, de victoriis suis in nomine non Dei veri. Nam anno MDCXXII id est, LXX annis, postquam euangelii praedicatio restitui coepit Augustae, & de pace religionis transactum est Passauii, Iesuitae academiam Pragensem & Heidelbergensem occuparunt, & Romanus Pontifex, Ignatium Loiolam, & alios eiusdem ordinis in sanctorum numerum retulit: quae ἀποθέωσις magna ubique festiuitate celebrata est. Haec licet ingeniose satis excogitata videri possint,



sint, accuratius tamen vix sustinebunt examen. Immo antea laudatus Lugdunensis academiae theologus, & explicationem textus alienam, & applicationem absurdam dicere nullus dubitat. Verba enim Ebraea, quae Cocceius ita transtulit: *Eiulate, naues Tarsis, quia vastatus est domi, ab aduentu, qui a terra Kittim apparuerat illis*: hoc modo potius vertenda: *eiulate naues Tarsis, quia* תירש *vastatus est princeps Tyri ac Tyrus ipsa, quia non insolens, ut verbis masculinis iungantur nomina urbium, quae ceteroquin feminina sunt* בית *a domo, seu, ut nulla sit domus, מבוטא ab introitu, seu ut nullus sit introitus: de terra Kittim reuelatum est eis.* Quem sensum etiam accurate & eleganter expressit B. LUTHERVS noster. Quod vtique de ipsa Tyro rectissime capitur, quam aliquoties vastatam, vel ut CVRTIVS loquitur: *multis casibus defunctam & post excidium renatam*, ex historiarum monumentis constat. Neque apparet quo iure per terram Kittim Hispania intelligatur, aut in ea fractus dici possit Carolus caesar, in qua cum leui opera frenum mordentes perdomuisset, pacate regnavit atque tranquille. Longe admodum etiam petitur videtur, quod aut Caesarem, aut Concilium Tridentinum, arx vastata Tyri dicitur. Namque & Carolum ob potentiam nimiam formidabant potius Romani pontifices, tantum abest ut eum in arcem & praesidium datum crederent; idque suo malo expertus est Clemens VII, & vel solum concilii nomen horrorem eis incutiebat, quo adeo caruissent libenter si per eoshoc stetit. Sed mitto reliqua, lubrica admodum atque infirma.

§. XXXII. Memorabile autem cum primis, dum in prophetis versamur, peccati typici, exemplum nobis suppeditat, ipse HOSEAS diuinus vates, si modo peccatum ipse commisit, quae tamen quorundam est sententia. Vxorem enim fornicationum, seu fornicationi deditam accipere, & liberos fornicationum ex ea suscipere, iustus est: ad redarguendos & spiritualis fornicationis conuincendos Israelitas. De antitypo itaque nullum est dubium, quin idololatriam aliaque peccata populi Israelitici grauissima, designet sanctissimum Numen. De typo vero, seu ipso Hoseae facto, non vna sese interpretibus offert difficultas. Quid vero, num dicemus virum sanctissimum rem habuisse cum scorto? & ex illegitimo concubitu progenuisse liberos? idque mandato diuino? Sunt equidem, qui meram hic a propheta narrari parabolam putant, abnuuntque haec aut facta esse, aut extitisse vnquam eiusmodi vxorem, quam Hoseas commemoret, multo minus eum liberos ex ea suscepisse. A qua sententia haud procul discedunt, qui diuinum vatem ea narrare putant, quae in somnio aut visione quadam illi exhibita sint: quod cum aliis Ebraeorum doctoribus contendit ABENESRA.\* Quibus frustra ab ABARBANELE \*\* secus sentiente, opponuntur exempla illorum, qui factis symbolicis, iussu diuino, aliquid praesignificarunt. Namque possunt reliqua exempla proprie & literaliter accipi, vt tamen rationes sint, quae suadeant, hoc, quod de Hosea narratur, aliter capiendum. Neque, quod idem vrget, statim

\* *Comment. ad b. l.*\*\* *ad b. l.*

tim ubique fas est a sensu litterali & historico discedere, etsi ex causis praegnantibus hoc fiat aliquando. Mihi tamen ideo hoc non probatur, quia nulla in textu aut visionis, aut somnii, aut ekstaseos occurrunt indicia; quod tamen alibi observare licet in scriptis prophetarum: & quod nulla adsit causa, quae nos cogat ad violentam eiusmodi confugere interpretationem, quod inter christianos, ex veteribus quidem HIERONYMVS, \* ex recentioribus, praeter alios, THEODORVS, facit HACKSPANIVS. \*\* Scio equidem virum clarissimum IO. MARCKIVM in peculiari diatribe in eandem procedere sententiam, eamque novis ornasse argumentis, quae tamen nondum rem omnem conficiunt. Namque quod in significatione & accommodatione vocum *Gomer* & *Diblaim*, quaerit praesidium, oppido infirmum est, & ad meras tandem redit coniecturas. Nec obstat etiam, quod vxoris huius, liberorumque historiam non persequatur ulterius diuinis vates, quod necessarium ille fuisse putat, si rem reuera gestam narraret scriptor facer. Namque sufficit narratio eorum, quae ex diuino consilio habent rationem typi.

§. XXXIII. Alii contra, non tantum reuera, quod Hoseas narrat, contigisse putant, sed & de scortatione, id quod dicitur capiunt, quam ob dispensationem diuinam vitio caruisse contendunt. Namque vt Abrahamus non peccauerit, obfirmando in necem filii animum, vt diuinae morem gereret voluntati; nec Israelae,

K 3

lita,

\* in cap. IV. Ezechiel.

\*\* not. bibl. part. II. p. 915.

litae, auferendo Aegyptiorum bona, quia hoc conce-  
ferat Deus; ita nec Hoseam, suscipiendo ex scorto li-  
beros, quia ita voluerat iusseratque Deus. Quae sen-  
tentia vt sua impietate omnibus horrorem iniicit, ita  
digna est scholasticorum principe THOMA DE AQUINO,\*  
quem & auctorem nacta est, & defensorem. Hunc  
plures ex eadem cohorte, vt fieri solet, ducem sequun-  
tur. Nec displicebit credo magnopere illis, qui vbi-  
que in scriptura sacra quaerunt, quod caillentur & ri-  
deant. Quorsum a Fausto atque Secundino Mani-  
chaeis, hoc quoque Hoseae factum tractum fuisse, te-  
statur AVGVSTINVS.\*\* Est vero omnino dispar ratio  
Abrahami, Israelitarumque, atque Hoseae prophetae.  
Non quidem, quod dispensatione sua effecerit Deus, vt  
aut homicidium, aut furtum, licite committeretur:  
quod plane fieri nequit, & Numinis sanctitati, & hinc  
ortae legis diuinae immutabilitati, repugnat; sed quod  
obiecti mutatione effecerit, vt id quod alias aut homici-  
dium aut furtum recte diceretur, nunc neququam cri-  
men esset. Cuiusmodi quid in iis officiis, quae erga a-  
lios exercemus, equidem procedit: minime autem in  
iis, quae quisque erga se ipsum praestare debet, quor-  
sum cum primis fuga & euitatio scortationis spectat.  
Recte atque praeclare HVGO GROTIVS, cum docuisset,  
ius naturale adeo immutabile esset, vt ne a Deo qui-  
dem mutari queat, addit: \*\*\* *fit tamen interdum, vt*  
in

\* II. 2. qu. 154.

\*\* T. VI. opp. p. 575.

\*\*\* de I. B. & P. lib. I. cap. I. S. X. n. 6.

*in his actibus, de quibus ius naturae aliquid constituit, imago quaedam mutationis fallat incautos, cum reuera non ius naturae mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua ius naturae constituit, quaeque mutationem recipit. Si creditor, ita pergit, quod ei debeo acceptum ferat, iam soluere non teneor, non quia ius naturae deserit praecipere soluendum, quod debeo, sed quia, quod debebam, deberi desit. Ita, si quem Deus occidi praecipiat, si res alicuius auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quae voces vitium inuoluunt, sed non erit homicidium aut furtum, quod vita & rerum supremo domino auctore fit. Talis autem obiecti mutatio, cum in scortatione locum non habeat, & Deus in eiusmodi peccatis dispensare nequeat, nec hic dispensasse dicendus sit, nullo pacto admitti potest, Hoseam illo crimine se polluisse. Quod insuper sine vlla necessitate dicitur, & narrationis ipsius momentis variis repugnat, vt iam aliis obseruatum est.*

§. XXXIV. Tam indigna itaque ne de sanctissimo viro admittere cogantur alii, in eam ingrediuntur sententiam, ipsam Hoseae vxorem, feminam honestam & pudicam, mulieris fornicariae nomine, propter tyrum hic venire, vt legitimi quos ex ea susceperit liberi, iidem ob eandem rationem, liberi fornicationum appellentur. Ita sentiunt, praeter LVTHERVVM nostrum, OSIANDER, \* GERHARDVS, \*\* TARNOVIVS, \*\*\* atque GLASSIVS, \*\*\*\* qui tamen suam deinceps mutauit sententiam.

\* *ad b. l.* \*\* *in loco de prouidentia §. XXIX.* \*\*\* *ad b. l.*  
 \*\*\*\* *lib. II. Phil. S. p. 330.*

tentiam. Abnuat contra HACKSPANIVS, haec ita se habere; \* fateorque ipse multa huic obstare sententiae. Perspicua prophetae narratio, praecepti diuini repetitio, & alia suadent, non saltem lusum fuisse in nominibus, sed reuera Hoseam mulierem impudicam duxisse in matrimonium. Insolens etiam quibusdam videtur, typum denominationem sortiri ab antitypo; etsi non infrequens sit, a typo denominari antitypum. Quibus accedit, quod durum videatur, feminam innocentem, praeter meritum ignominioso & maximum crimen, cuius tamen expertus fuit, indicante, nomine insigniri, ob alienam culpam, aut ad aliorum potius peccata repraesentanda. Ista enim famae imminutio, vix videtur sine vitio fieri potuisse. Quod si contendas, populo innocentiam feminae satis perspectam fuisse, adeoque nomen illud typicum nullum illi attulisse dedecus, tum efficacia omni typum istum priuabis. Nec enim recte comparatio instituitur, inter feminam innocentem, quae praeter meritum vocatur adultera, & inter populum peccatis grauissimis iram Numinis in se prouocantem. Quae cum ita sint, clarissimis scripturae interpretibus, \*\* ita videtur, haec ita gesta esse, vti narratur, prophetam scilicet, non scortatum esse, scortatricem tamen ex mandato Dei, ad arguendam regni Israelitici idololatriam reuera duxisse, & legitimo matrimonio sibi iunxisse. Cui expositioni euidentissima & luculenta admodum prophetae narratio fauet,

ex

\* *not. philol. ad h. l.*    \*\* *vid. Meisnerus, Calouiusque ad h. l. add. Waltherus herm. bibl. p. 663. Danhaeuerus colleg. Decalog. p. 748. seqq.*

ex qua nihil aliud colligas, quam veram hic narrari historiam. Praeceptum domini, prophetae obsequium, nomen mulieris, & reliqua, rem ira gestam vehementer suadent. Idem arguit consilium Numinis, qui non verbis tantum, sed ipso etiam exemplo redarguere volebat Israelitas, ut tandem eo clarius amoris divini vim, vitaeque suae foeditatem intelligerent. Obsequium quoque Hoseae promptum, nullum praebet indicium, sola praedicatione ista peracta fuisse.\*\*

§. XXXV. Propheta itaque nihil fecit, quod vituperatione dignum sit, adeoque eius facinus typus quidem, non tamen peccatum typicum fuit. Neque peccat, qui stupratam ducit, modo spes sit, eam vitae genus mutaturam, casteque & pudice victuram in posterum. Ut frustra adeo sint, qui hic quaerunt, quod cauillantur, ut aut divinae iustitiae, aut scripturae sacrae diuinitati, labem adspargant. Legitimum enim hocce erat matrimonium, quod & recte inibatur ab Hosea, & mandabatur a diuino Numine. Sacerdotibus quidem atque Levitis nuptiae lege diuina interdictae erant cum meretrice, *Leuit. XXI. 7. 24.* Sed ea ad reliquos, qui ex hocce ordine non erant, non pertinebat, nec hoc requirebat ratio legis, sanctitas illa, qua ad offerenda sacrificia, & reliqua munera sacra obeunda, apti censebantur. Ne dicam, eam legem, ut positivam, admittere dispensationem. Ira vero etiam & ratio typi atque antitypi sibi constat. Hoseas ipse, vir sanctissimus, typus atque imago est ipsius Dei, vxor,

L

quam

\* *vid. Glass. phil. S. lib. III. tr. III. p. 270.*

quam duxit, populi Israelitici. Ut ergo illa, priusquam prophetae nuberet, impuro vitae genere se execrabilem reddidit, nihilofecius tamen ab Hosea, quod vitae morumque meliorum spem faceret, in matrimonium ducta est: ita & sanctissimum Numen recipere in gratiam populum Israeliticum, etsi multis magnisque criminibus pollutum, secum constituerat, modo cum serio admissorum poeniteret criminum, vitamque moresque corrigere & emendare vellet. Molestum quidem viro diuino forte fuisse videtur, feminam ignominia coopertam ducere: quod tamen prompte fecit, ut suum erga Deum obsequium testaretur. Sed hoc ipso significare voluit Deus, etsi multas iidem rationes habuerit, cur reicere penitus immorigeram illam Israelitarum gentem possit: tantam tamen amoris sui erga eam vim esse, ut remittere omnia ista delicta libenter velit, modo ad meliorem istis redire mentem placeat.

§. XXXVI. Id adhuc obflare videtur, quod de liberis prophetae, & uxoris huius additur, qui ילדי זנותים *liberi fornicationum* dicuntur. Ex eo namque colligas, aut non coniugis sed meretricis loco prophetae hanc feminam fuisse, aut legitimo licet matrimonio inito, eam iterum ad pristinos rediisse mores, nouumque adulterium pristinis flagitiis addidisse. Vtraque sententia defensores suos atque propugnatores habet. Mihi res: omnis ex ipsa diuini viri narratione, plana ac perspicua esse videtur. Primo namque iustus est a Deo, accipere *uxorem fornicariam & filios fornicarios*. Quod & fecit diuinae voluntati morem gerens, *cap. I.*



1. 2. 3. Accepit ergo cum muliere, liberos quos ex illicitis commixtionibus genuerat, eosque adoptavit: & isti quidem sunt ילדי זנוייה Tum ex legitimo cum Hosea coniugio peperit duos filios, filiamque, quibus nomina typica iussu diuino imposita fuerunt. v. 3. seqq. Quo minus enim existimem, hosce liberos quorum ibi indicantur nomina, ex adulterio natos, obstat, quod huius rei nullum in hoc capite occurrit vestigium, & de priori filio insuper dicatur: וְיִלְדָה לִּי & peperit ei. v. 3. Nec typica vlla hic obstat ratio, cum haec sibi constet, etiam si hosce Hoseae liberos pro legitimis habeamus. Non enim existimandum, vnam eandemque coniugii huius seriem in typo obseruandam, & vnicum tantum quaerendum esse antitypum; vt deinceps demonstrabitur. Quare postquam Hoseas aliquandiu honeste cum ista vxore vixerat, & liberos ex ea suscepit, tum demum post aliquod temporis intervalum, ad pristinos rediisse mores, videtur. Hinc expulsa haud dubie atque eiecta fuit ab Hosea: cum tamen iterum spes esset, fore vt vitam serio corrigeret, recipere eam propheta iussus est, cap. III. 1. 2. seqq.

§. XXXVII. Primo itaque exemplum peccati typici exhibet vxor Hoseae, priusquam ei nupsit. Impuritas enim illa, cui se dedit, imago est fornicationis spiritualis, quam in gente Israelitica notat Deus. Quo nomine cum reliqua quidem peccata, tum maxime idololatria aptissime significatur. Vt enim qui Deum verum rite colit, arctissimo ei adhaeret amore, vt coniuges casto sed sincero amore se inuicem professi solent, ita qui aliud quid supra Deum amat, amore isto

isto impuro mentem suam polluit contaminatque. Cumque coniugium indolem habeat fidei, seu pacti, & adulteri adulteraeue, violatae fidei coniugalis postulari soleant, pari ratione datam nuigrasse fidem, federisque diuini neglexisse leges, censerī poterant Israelitae. Praeterquam enim, quod ipsa religio vera & ante & post lapsum habeat indolem rationemque federis, vt alibi ostensum; in Israelitis accedebat fedus speciale, quod cum iis inierat Deus, quod & subinde sub imagine coniugii repraesentatur, vid. *Hof. XI. 19. add. Ephes. V. 27.* Typum itaque pariter ac antitypum, ipse designat propheta, luculentissime *cap. 1. 1. 2. 3.* Iam alius typus sequitur, a priori cum antitypo suo longe diuersus. Cum enim tres liberos suscepisset ex coniuge diuinus vates, singulos certorum euentuum typos esse Deus voluit, ideoque typica nomina illis imponi iussit. Haec prolixius explicare nostri non est instituti, cum peccati typici exemplum in iis non occurrat. At quod tertio capite de vxore iterum narrat, rursus ad peccata typica spectat. Nec enim dubitandum, quin post aliquod temporis interuallum hoc demum contigerit. Cum enim prophetae vxor, immemor amoris & beneficii maximi a marito in se collati, coniugalem violasset fidem, denuo typum gentis Israeliticae praebuit. Inconstantiam enim summamque leuitatem populi, hoc significare voluit Deus. Nihil enim illi solennius, quam diuinorum obliuisci beneficiorum, & si vel maxime vera poenitentia sibi conciliasset Deum, pristina repetere vitia, & vetera cumulare nouis. Nihilofecius, nondum spem omnem veritatis illis denegat benignissimum  
 Nu-

Numen, modo sapere tandem, mutareque mentem velint, vt luculenter docetur *cap. III. v. 5.* Sed hisce diu fati immorati sumus.

§. XXXVIII. Agmen denique claudat inter illos, quorum impietas in typum ac imaginem statuta est, Antiochus ille *ἐπιφανής*, rectius forte *ἐπιμανής* dicendus, dignus, qui imaginem eius gerat, in quo summum impietas consecuta est fastigium. Possit utique inter illum & antichristum comparationem ita institui, vt alter alterius dicatur typus, dubio forte apud cordatos, & harum rerum peritos, carebit: at num hoc sibi velit vates sanctissimus Daniel, \* id vero est, de quo nonnumquam inter se conueniunt viri docti. Possunt autem omnes ad quatuor reuocari sententiae, quas praecipuas esse puto. Nonnulli enim quaecumque a Daniele, a *vers. 21.* vsque ad finem capitis differuntur, tantum de Antichristo capiunt, nulla habita ratione Antiochi. Quae sententia Antiocho adeo locum inter peccatores typicos denegans, cum primis defensorem nacta est HENRICVM HVLSIVM, theologiae professorem in academia Duisburgensi, clarissimum. Alii cuncta de Antiocho capiunt, nullam hic Antichristi mentionem fieri contententes, adeo vt, si ille huius typus constituitur, id quidem fiat praeter mentem Danielis. Ducem hi habent atque antesignanum PORPHYRIVM, quem odio religionis christianae in hanc ingressum sententiam, SALOMO GESNERVS contendit.\*\* Alii distincte incedunt, & a *vers. 21. ad 36.* de Antiocho Epiphane, in reli-

L 3

quis

\* *cap. XI. v. 21. vsque ad fin.* \*\* *in Daniel. l. c.*

quis de Anti-christo, verba fieri, autumant. His exemplum praeiuit ipse HIERONTMVS atque THEODORETVS, quorum vestigia plerique ex nostrae ecclesiae doctoribus premunt. Quos inter rursus hocce diuortium intercedit, quod alii priora tantum de Antiocho capiunt, alii autem simul sub imagine atque typo eius, antichristum describi contendunt. Et hisce iterum HIERONTMVS fauet. *Haec autem, inquit, sub Antiocho Epiphane in imagine praecesserunt, ut rex sceleratissimus, qui persecutus est populum Dei, praefiguret antichristum, qui Christi populum persecutus est.* \* Nostra autem magnopere refert, quatuor hasce expendere sententias, inde ut elucescat, num recte Antiochus Antichristi imago constituitur, iureque adeo referatur inter peccatores typicos?

§. XXXIX. Argumenta, quibus HENRICVS HVLSIVS \*\* euincere annititur, de Anti-christo tantum sermonem facere Danielem, cum ex parte capitis posteriori praecipue petita sint, nos quidem non feriant, cum lubentes feteamur, hanc de Anti-christo intelligendam esse. Hisce itaque missis, videamus saltem, qua ratione partem priorem de Anti-christo interpretetur. *Et stabit, inquit, Daniel v. 21, seu regnabit in loco eius (quem nos Seleucum philopatora esse credimus) quidam homo despectus, cui a nemine fuisset tributus honor regius.* Id HVLSIVS de Romano pontifice, quem

\* *vid. Natalis Alexander in H. E. V. T. T. II. p. 239.*

\*\* *de vallibus prophetarum sacris, exercitat. XIV.*

quem Anti-christum esse nobiscum fatetur, capit, quod in prioris imperii Romani locum, regnum successerit, ipsa quoque Roma vrbe, ceu regia sede occupata. Idque tum praecipue factum, cum imperatoria sede in orientem translata, regnantium donis, aliaque ratione, potestas Romanorum episcoporum mirum in modum augetur. *Hominem despectum*, recte appellari episcopum Romanum, quod plebeii homines, & ex fece populi, primum ad hanc dignitatem euecti sint, qui suis deinceps effecerunt artibus, vt regibus ipsis superiores haberentur. Non ergo illis *attributus erat honor regius*; non illis debebatur, quem inuitis Deo hominibusque, per varia fallaciarum genera, ad se raperunt. *Et veniet*, inquit porro Daniel, *clam*, (vel potius *in pace seu tranquillitate*) *& obtinebit regnum in fraudulentia, seu per blanditias*. Irrepsit enim Anti-christus, per blanditias in pace, dum vicit per doctrinam & obtentum pietatis & religionis, ac venit pedentim. *Et brachia inundationis inundabuntur coram facie eius, & frangentur*. v. 22. Per *brachia inundationis*, cum haud dubio robur militare populorum, seu exercitus intelligantur, noster quidem reges barbaros Italiam vastantes hic designari putat, sed in conuersione se subiicientes Romano pontifici, cornua illa decem, quae potestatem suam omnem Anti-christo dederunt, ac subiecerunt, *Apoc. XVII. 13.* Reges a Romanis pontificibus depositos, thronoque turbatos, Henricos, Otones, Fridericos, reliquos, quos in ordinem redegerunt, atque confregerunt. At quod additur; *& princeps federis frangetur coram eo*: de eo varias esse erudito-

ditorum sententias, fatetur. Intelligit, HIERONIMVS, inquit, Iudam Maccabaeum, CALVINVS Ptolomaeum Philometorem THEODORETVS Oniam pontificem, GROTIVS Demetrium Seleuci philopatoris filium. HVLSIVS autem non alium, quam imperatorem Romanum intelligi posse contendit, in cuius sede constitutus fuerit Romanus pontifex, & qui huius fidei in occidente cuncta commiserit, quorum etiam res & ratio proxime fuerit coniuncta. Praesertim cum & constet, pulsos contractosque subinde a Pontificibus fuisse imperatores: quem in finem laudat CHRISTOPHORI KRIEGSMANNI commentationem, *de attrito per papas imperio*. Quemadmodum & *Apoc. XIII. 12.* de bestia ex mari ascendente dicatur, quod omnis eius bestiae potentia, *coram secunda & imagine bestiae, collocata sit*. In ista autem cum principe federis consociatione, vt porro Daniel vates docet, *faciet fraudem*. Quae non tam ad Antiochi Epiphaniis fallacias, quam potius ad artes Romanorum pontificum pertinere noster contendit, quibus cuncta in sua verterunt commoda, postpositis longissime commodis Imperatorum, etiam si hi, qua religionem, directionem & censuram ecclesiasticam, sedem, prouinciam, urbem & alia, iis sociati essent. Soli enim imperitare voluerunt, nesciebantque ferre focium.

§. XL. Ita ergo cum ortum Anti-christi Daniel descripsisset, vt HVLSIVS quidem putat, incrementa eius atque progressus magnos atque ingentes delineat. *Veniet, inquit, cum pau xillo gentis in opimas prouincias.*

v. 23. Clerum hic designari putat, qui Romani pontificis auctoritate pugnat, gens imbellis, si vim externam spectes, & *exigua*, comparata cuiusque loci vel vrbis incolis. Isthis tamen militibus stipatus, miranda perpetravit Romanus pontifex. *Veniet in opimas prouincias.* Loca cuiusque prouinciae optima, & omni diuitiarum genere abundantia, occupabunt, sedesque episcopatibus & monasteriis suis in iis delegant. Italia, in qua Europae deliciae confluunt, ipsi capiti & principi huius ordinis, sedem praebent. Et ita deriuabit cuncta ad suum thesaurum, sed & *contra morem antecessorum suorum dissipat potentiam & spolia:* hoc est, (ex mente auctoris nostri loquimur) curat, vt vis politica frangatur & debilitetur; dissipat auctoritatem & maiestatem imperantium, colla eorum pedibus suis subiiciens, dissipat imperium, cum imperium in imperio erigit, dissipat prouincias, cum potissimam earum partem ad clericos transfert, dissipat neruum & opes, quas per mille exemptiones & artes accidere & emungere nouit. Contra munitiones autem, quas ita dissipare nequit, *artes excogitabit*, suadendo missiones in terram sanctam, vt ibi robur imperantium labefactetur, fo-uendo & excitando inter eos dissidia, & quae aliae sunt eiusdem generis. Hinc expeditiones sacras & cruciatas Daniele describere credit noster, tum aduersus Turcas ad recuperandam terram sanctam, tum aduersus *sedus sanctum*. Expeditio prima versus austrum fuit felix, sic vt *rex austri non stareet coram illo.* v. 25.

M

Pro-

Prosperos enim christianorum sub Godofredo Bullio-  
naeo, aduersus Saracenos progressus, nemo ignorat.  
Deserebant vero in hac expeditione regem austri, *qui*  
*panem eius comedebant.* v. 26. Non restitit enim Caly-  
pha Aegyptius, sed pacem petiit, vnde factum, vt *rex*  
*spretus* facile in omnibus esset superior. Auget post  
regnum Palaestinae occupatum, Rex Hierosolymitanus  
Balduinus, deuicto utroque Persarum & Damasci rege.  
*Sedent duo illi reges ad mensam unam, & loquuntur*  
*fraudem*: Duces videlicet, seu Sultani, & ipse impe-  
rator Turcicus, quippe quos inter occultae similitates  
intercedebant, praesertim in Aegypto, quae postea de-  
fecit, regnumque separatum facta est.

§. XLI. Interea vero *rex spretus*, seu *pontifex*, hac  
accessione auctus ac ditatus valde, *redit domum*, sed *ex-*  
*peditionem aliam contra sedus sanctum parans.* v. 28.  
Eo enim tempore, & ad apicem peruenit superstitione,  
idololatria, missa, transubstantiatio, graphiis confosso  
Ioanne Scoto, & ad palinodiam coacto Berengario, &  
coepa est persecutio famosa Waldensium (verba sunt  
auctoris nostri) *puerorum mactatorum ad pedem montis*  
*& petrae*, vt loquitur de *Pedemontio*, Italiae ac Roma-  
nae sedi vicino *Esaias cap. LVII. s. 6.* Postremo, *tempo-*  
*re praesedito*, (scilicet reformationis) *denuo austrum*  
*innadit, sed non cum eo successu,* v. 29. Caroli namque  
V. imperatoris expeditio in Africam infelix fuit, & suc-  
cessu caruit, adeo, vt rerum bellicarum exercitusque  
iactura facta, re infecta domum redire cogeretur. Sed  
tum



tum venerit etiam contra ipsum naues Chittacae, ut bebetaretur, v. 30. ecclesiae scilicet protestantium, quae excessu Romani pontificis iugo contra eum insurrexere, quo effectum, ut vehementius exarserit contra fedus sanctum. Immani enim ira flagrat contra fedus sanctum, atque perficit: dum quicquid adhuc reliquum de veritate tollit, quicquid adhuc liberum proscribit, quin & fundamentum veritatis scripturam, ac testes binos necat. Vertetur & aduertet ad desertores federis sancti: repulsus & reiectus a custodibus federis sancti regnum eriget in desertoribus eius federis, hoc est iis, qui regno Pontificio adhuc adhaerent, v. 30. Brachia stabunt supra sanctum fedus; & profanabunt sanctuarium, & auferent iuge, & dabunt desolationem. v. 31. quod & per ecclesiasticam potestatem concilii Tridentini, quae omne fundamentum salutis abrogauit, & per politicam illorum, qui mire vexarunt & deuastarunt Protestantium ecclesias, factum est. Et improbe se gerentes erga fedus, faciet hypocrisis uti per blanditias. Nec enim desunt Romanensibus media, desertores veritatis ad suas pertrahendi partes. Dispensat Romanus pontifex dignitates, munera, honores; diuitias confert atque distribuit, quibus facile in officio continet sibi addictos, etsi errorum fallaciarumque, quibus ista imperii spiritualis moles innititur, conscios, & allicit etiam alios, qui in libertate licet constituti, bona huius seculi, vitaeque cito transitoriae commoda pluris faciunt, quam diuinae veritatis possessionem. His itaque opponit Daniel cognoscentes Deum, qui confirmabuntur & rem conficiant.

*ficient.* Quae confirmatio, si *HVLSIVM* porro audias, facta est tum per insigne virium & potentiae incrementum, quo brevi tempore auctae sunt res protestantium, tum & per transactionem Passlaviensem, qua misericordie illorum securitati consultum est in Germania. *Prudentes vero in populo cognoscentium Deum, docebunt multos v. 33.* erigentur hinc inde in terris protestantium scholae & academiae, quae veritatis doctrina personent, & sacra publica instituentur. Quod aegre habebit Romanenses, hinc doctores isti *corruent per gladium, ignem, carcerem, idque per dies multos.* Varia enim & diuturna vexatio veritatis euangelicae praecones manet. Id quod tamen in maximum illorum commodum cedit; ad *constandum* in ipsis, ad *purgandum*, & ad *exalbandum usque ad tempus finis. v. 35.* Afflictionibus enim purgati fidelium animi, tanto magis & coram hominibus exsplendescunt, & Deo quoque ob fidei constantiam cariores sunt. In istis tamen vexationibus, *parvo auxilio iuuabuntur*, quia hinc inde mox per Saxones, mox per Belgas, mox per alios, regni Anti-christiani vis atque potentia, repressa paulisper est atque sufflaminata. Et haec quidem mensententiaque est *HVLSII*, qui in sequentibus demum propius *formale illud characteristicum*, quod Anti-christum intime constituit, & ab omni alio hoste distinguit, a Daniele describi contendit. Cum vero non temere quisquam ea de re dissentiat, in sequentibus de Anti-christo verba facere Danielem, nec vlla hac de nobis cum viro clarissimo lis intercedat, reliquorum com-



commatum, quam tradit expositionem, referre, superuacaneum esset.

§. XLII. Haec licet prima fronte, non sine quadam veritatis specie dicta censerī possent, accuratius tamen considerata, multis adhuc dubiis ac difficultatibus obnoxia deprehenduntur. Ne dicam quod applicatio ad Antiochum Epiphānem, in multis longe sit concinnior, quam ad Anti-christum. Sic cum v. 21. dicitur, *stare in sede prioris*, cum haud dubio successionem indicet, vix de Romano pontifice capi potest. Neque enim successerunt in locum Romanorum Imperatorum pontifices, sed vna cum ipsis imperitare cœperunt, summam rerum in ecclesiasticis ad se rapiētes, reliquo imperio illis relicto. Accedit, quod in antecedentibus reliquorum Syriae regum successio, luculenter satis designata sit. De Antiocho itaque Epiphane sermo est, cui regnum non debebatur, quod fraudulenter fratris sui filio Demetrio, Romae tum agenti, praeripuit. Despectus autem iste Antiochus dicitur, ob mores ab omni non tantum principis dignitate, sed & viri honesti grauitate alienos, quos ex POLYBIO late descriptos dedit ATHENAEVS.\* Sic rursus longe admodum petiitum est, per *brachia inundationum fracta* reges barbaros, ad christianorum sacra conuersos, intelligere, cum nihil pronius sit, quam copias

M 3

intelli-

\* lib. V. & X.

intelligere Attali & Eumenis Antiocho fauentium, quippe per quas Antiochus Heliodorum oppressit, qui cum Seleucum philopatora occidisset, ipse Syriae regnum affectabat. *Princeps autem federis*, est caput federis aut coniurationis, contra *regem contemptum* initae: adeoque hoc minime quadrat in Romanos aut Germanicos imperatores, qui etiam licet multa perpessi sint a pontificibus, non tamen *pulsi* atque *confracti* penitus dici possunt. Sed nec HIERONYMVS rem acutetigit, Iudam Maccabaeum, nec GROTIUS, Demetrium Seleuci philopatoris filium, intelligens. Namque nondum de expeditione Antiochi aduersus Iudaeos verba facit propheta, vt adeo nec Onias intelligi queat, quod vult THEODOREDVS, & Demetrius adhuc obses Romae versabatur, nec inuolutus fuit factioni Heliodori, qui patrem eius interfecit. Neque fractus est Demetrius ab Antiocho, quin potius, hoc mortuo, & filio eius Eupatore occiso, regno potitus est. Quare nihil aliud superest, quam vt per federis aut coniurationis principem, ipsum intelligamus Heliodorum, quae est etiam sententia NICOLAI GVRTLERI. \* Quae sequuntur de fraude occupantis regnum, illudque federibus, tranquille tamen, etiam amplissimum opulentissimumque, possederit, lubens mitto, cum vtiq; per se pateat, non minus de Antiocho hoc dici posse, quam de Anti-christo, modo non longe aptius adhuc in illum,

\* theol. prophet. cap. XIX. artic. XXI. p. 321.

lum, quam in hunc, quadrent. Quod autem additur, *magnificentia & liberalitate eum patres auosque superaturum*, id quidem violenter admodum ad Romanos trahitur pontifices. Quinam enim sunt patres auique illorum, quos liberalitate & profusione superarunt? Durum insuper est admodum, *praedam spoliatae*, de auctoritate imperantium, deque imperio, interpretari; cum sane quae imperantibus eripuerunt pontifices, studiose retinuerunt, nec dissiparunt vllatenus. De Antiochi contra profusione nos dubitare non sinunt, POLYBIUS, \* atque ATHENAEVS. \*\*

§. XLIII. Quae sequuntur de bellis, quae rex ille spretus, cum rege austri gessit, rursus ad expeditiones cruciatas, quas vocant, accommodari vicunque possunt, sed non aequè vbique feliciter, saltem longe aptius in Antiochum & Ptolomaeum quadrant. Primo vtiq; rationem quis desiderauerit, cur Saracenorum imperator, *rex austri*, vocetur. Deinde pontifex ipse non gessit bella cum imperatore Saracenorum, sed eius saltem instinctu reges principesque Europaei. Daniel contra luculenter indicat, ipsos inter se commissos reges, & spretum quidem illum atque ignobilem, munitiones alterius sibi vindicare voluisse, cum Romano contra pontifici, vires potius Europaeorum principum infringere, constitutum fuerit, quam aut

vrbes

\* *bis. lib. XXXI.*

\*\* *lib. X. dignosiphistic.*

vrbes aut prouincias Saracenorum suo subiicere imperio. Nec Romanus pontifex cum imperatore Saraceno super vnam mensam sedit, fraudulenterque cum illo locutus est. De ducibus autem imperatoris hoc nullo modo capi potest, cum de ipso rege isto spreto & ignobili, & rege aultri, diserte hoc asserat diuinus vates. Antiochum autem epiphanem constat ex historicorum monumentis, bellum contra Ptolomaeum philometorem, sororis suae filium, suscepisse, quod tutores Ptolomaei Syriam ab Antiocho Magno occupatam, repeterent, armis eam recuperaturi, nisi sponte reddatur. Id quidem ex POLYBIO \* constat. FL. autem IOSEPHVS \*\* auctor est, Antiochum expeditionem in Aegyptum, captum regionis cupidine, suscepisse, feliciterque initio & prospere rem gessisse. Quod & HIERONYMVS confirmat, qui addit, commisso inter Pelusium & montem Capum praelio, Ptolomaei copias inferiores ex eo discescisse. Proditum a familiaribus Ptolomaeum, non est, qui exerte memoret, fieri tamen facile potuit, praesertim cum in tenera aetate adhuc constitutus esset. Facile autem intelligens Antiochus, haec nondum sufficere, vt voti sui compos fieret, ad fallacias insuper se conuertit, tutorisque & socii speciem praefereus, haud difficulter Aegyptum sibi subiicit. Ita deceptus Antiochi fraude Ptolomaeus: Antiochum rursus decepturus. Hoc quidem ex historiarum monu-

\* *legat. LXXI, & LXXII.*

\*\* *antiquit. iudaic. lib. XII. cap. VI.*

monumentis demonstrari non posse, existimat HIERONIMVS. At ex IVSTINO, \* LIVIO \*\* aliisque notum est, Ptolomaeum huncce, cum fratre natu minori Euergete II. pacem fecisse, iunctisque tum consiliis vtrumque legationem Romam, & in Peloponnesum misisse, ad petendum aduersus Antiochum, auxilium. Interea Antiochus, ob hiemen imminuentem, Alexandriae obsidionem soluere coactus, domum reuertitur, in itinere tamen Iudaeos vexans, plane vt praedixerat Daniel. Ethic fuit primus Antiochi in Iudaeam insultus, quem angelus a secundo exerte distinguit, etsi IOSEPHVS & auctor libri primi Maccabaeorum, tantum secundum ceu longe atrocioris meminerint. Antiochus autem intellecta fratrum Ptolomaeorum, ac fororis Cleopatrae, ciuunque Alexandrinorum concordia, dehuo Aegyptum cum exercitu petit, *Sed non erit*, inquit Daniel, *vt primum, ita postremum*. Non ita, vt prima vice, res ista Antiocho exanimi sententia processit. *Venient namque super eum naues Chittim*. Per Chittim Macedoniam intelligi, positum est extra controuersiam. vid. *I. Maccab. I. 1.* Romani namque eo tempore, quo haec gerebantur, iam Macedoniam deuerant, partimque ibi, partim in locis proximis, classem habebant validam. Hinc Caius Popilius, qui ad Delum praesidio nauibus Romanis, Macedoniam petentibus, hucusque fuerat, cum hostes Romanorum in Macedonia victi essent, a Senatu, res Aegyptiorum non esse negligendas censente, cum exercitu eo missus est, voluntatemque Senatus populique Romani Antiocho exposuit, vt arma ponerat, dederetque Aegypto, ni Romanos hostes experiri veller. Cunctantem autem dubitantemque, quid responderet, Antio-

N

tio-

\* *historiar. lib. XXXIV. cap. II.* \*\* *lib. XLV. cap. XI.*

tiochum, circumscripsit virga, circulo isto exire prohibens, donec quid sibi animi esset, declarasset. Hinc ira percitus Antiochus, cum spe sua potiundi Aegypto, excidisset, omnem furorem in Iudaeos effudit. Et ista quidem de Antiocho ex LIVIO, vt reliquos nunc taceam, certa sunt & explorata: planeque & exacte cum vaticinio conuenit euentus. Longe aliter se res habet, in sententia HVLSII. Namque ne quid de ceteris comparationis inter vaticinium & euentum instituendae, momenti dicam, quò iure per *naues Chittim* ecclesias Protestantium intelligat, non video. Vix puto, hominem, quamtumuis ingenio excellentem, vel probabilem huius rei causam afferre posse.

§. XLIV. Summa autem Antiochi crudelitas faeuitiaque, qua erga Iudaeos vsus est, in sacris illorum pollundis, & euertenda religione, imaginem quidem exhibet non minoris faeuitiae, qua cuncta in ecclesia Christiana pessumdedit Anti-christus, & veros Dei cultores misere vexauit; quae tamen diuinus hic refert vates, non de ipso Anti-christo, sed de Antiocho intelligenda sunt. Quaedam enim de alio, quam Antiocho, intelligi nequeunt. Quod enim dicitur: *brachia stabunt supra sanctum fedus*, luculenter significat, vi armisque oppressurum eum populum Iudaicum. Militare enim praesidium arci Davidis ab eo impositum, vt a cultu Numinis more maiorum in templo peragendo, populum abstraheret, constat. Iam pone; posse & per brachia concilium Tridentinum, potentiamque imperantium, in gratiam Romanorum pontificum, Protestantes affligentium, intelligi, de hisce tamen dici non potest, quod hucusque *steterint supra sanctum Dei fedus*. Magno enim licet subinde periculo expositae fuerint ecclesiae Protestantium, nondum tamen in vniuersum, quod ista loquendi ratio indicat, tyrannidi



nidi pontificiae fuere subiectae. Sic &, quod porro Daniel affirmat, *eos adiutum iri paruo auxilio*, si non potiori, saltem eodem iure, immo ob seriem totius narrationis, potiori etiam iure, de victoriis Iudae Maccabaei & fratrum, reportatis de regum Syriae ducibus Apollonio, Serone, Gorgia, Lyfia, Nicanore, intelligi poterit. Paruum autem recte vocatur hoc auxilium, quia post aliquot victorias, belli alea adhuc dubia manebat, ipso Iuda atque fratre Ionathane occisis, Hircano autem mandatis Antiochi pii, morem gerente. Haec itaque & alia obstant, quo minus istud Danielis vaticinium de Anti-christo capere queamus; immo suadent vehementissime, hactenus de Antiocho epiphane istud intelligendum esse.

§. XLV. Altera sententia, ut supra diximus, illorum est, qui ad Antiochum cuncta pertinere contendunt, tum ea, quae a *vers. 21. ad 36.* dicuntur, tum & reliqua. Quo pacto autem ad Antiochum trahant, quae de anichristo alii rectius capiunt, ex GROTHO intelligitur abunde. Grauissimis tamen horum sententia impugnatur rationibus. Etenim cum ordine enarrasset angelus, quae sub Antiocho euentura essent, & etiam euenerunt, addit, *reslare adhuc aliud tempus*, tumque refert, quid alio isto tempore euenturum esset. Quare si alio tempore haec contigerunt, non pertinent vtiq; ad Antiochum. Deinde, de antichristo haec verba posteriora intelligenda esse, omnes condocet Paulus apostolus *II. Thessal. II.* verba prophetae de Anti-christo explicans: *aduersarius ille, inquit, homo nequam, & filius perditionis, extollet se super omnem qui vocatur Deus.* Quod de Antiocho asseri nequit. Est enim more aliorum regum & imperatorum gentilium, se Diis aequiparauerit, & statuanam etiam suam in templo Hierosolymitano collocauerit, non

tamen ideo supra omnes Deos, aut supra summum illum & unum, quem & sapientiores gentilium agnoscebant, se extulit. Cum primis rem omnem conficit, quod multa hic occurrant, quae plane in Antiochum non quadrant. Cuiusmodi & illud est : *Deum patrum suorum non reputabit, Deum autem Mausim venerabitur.* Hoccine de Antiocho dicas? de eo, qui religionem Graecanicam, cui innutritus erat, obtrudere Iudaeis omni vi annitebatur? Ieiunum itaque & falsum, quod HUGO GROTIUS comminiscitur : *non curabit Deos Macedonicos.* Romani contra pontifices veteris ecclesiae doctrinam & religionem reiicientes, idolum suum *Mausim*, quod plurimi de missa pontificia interpretantur, introduxerunt. Pari ratione, quod dicitur, regem illum, de quo Danieli sermo est, *amorem feminarum nibili facturum*, in Antiochum non quadrat. Quod enim feminas, aut coniugium repudiauert, de eo nusquam legitur. Frustra autem iterum est HUGO GROTIUS, dum verba : *neque desiderium mulierum*, in eum sensum trahit ; neque feminas, quamquam amabiles curabit quidquam, nullaque sexus illius tangetur misericordia. Plane ac si crudelitatem saltem Antiochi in sequiorem quoque sexum, designaret propheta. Id vero verba ferunt minime. Namque negatio desiderii, amoris defectum quidem, minime autem saeuitiam, ex longe aliis causis quam defectu amoris, oriundam, denotat. Quae enim duriora in sequiorem sexum designauit Antiochus, non ideo designauit, quod eum fastidiret, vel contemneret amorem feminarum, sed quod odium gentis Iudaeae, & consilium veram religionem extirpandi, ad hoc eum impellerent. Ex accidenti itaque potius in feminas quoque quasdam incommodum aliquod ex ista persecutione redundauit, in ipsum sexum, vel amorem potius eius le-

giti.

gicum & conjugalem, quod tamen Daniel innuit, non fuit iniquus Antiochus. De Anti-christo autem diserte proficitur Paulus Apostolus *I. Tim. IV. 3. postremis temporibus defecturos quosdam a fide, & tradituros doctrinas daemonum, & prohibuituros nubere.* Denique nec illud praetermittendum, istam, quam vates sanctissimus describit fidelium calamitatem, coniungi cum mox secutura resurrectione mortuorum, & aeterna fidelium beatitudine. Quod documento est, ne utquam de Antiocho, sed de ea persecutione hic sermonem fieri, quae in ultimam mundi demum cadit aetatem, quae est antichristi, seu Romani pontificis. Quae omnia rem planissime euincunt, vt superuacaneum sit, eundo per singula vaticinii huius momenta, quod facile fieri posset, hoc pluribus confirmare. Proxime tamen elapso seculo ex nostratibus IOANNES SVANINGIVS, theologiae professor Hassnien-sis, & archiepiscopus Daniac, tum ob alia, tum ob edita commenta-riorum in Daniele volumina duo, celebris, acriter sententiam con-trariam, de Antiocho, non de antichristo hic verba fieri, tutatus est: cuius rationes discussit ABRAHAMVS CALOVIVS.\*

§. XLVI. Tertia itaque, \*\* quod prioribus praeferenda sit sen-tentia, iam ex dictis abunde patet. Etenim si prior vaticinii pars non de Anti-christo, sed de Antiocho, & posterior non de Antiocho, sed de Anti-christo intelligi potest, quorum alterum contra HVLSIVM, al-terum contra GROTIVM demonstrauius, sequitur recte eos sentire, qui *vers. 36.* prophetam ab Antiocho ad Anti-christum transire, con-tendunt. Cuiusmodi transitiones in scriptis prophetarum non sunt infrequentes. Ergo illud tantum superest, vt disquiramus, an in prio-ri vaticinii huius parte, Antiochus simul vt typus Anti-christi consi-derari possit? Quod qui affirmant, quartam ac ultimam de sensu hu-ius vaticinii sententiam defendunt, quibus iam duces & antesigna-num delimus HIERONYMV. Quibus & me accedere, lubens & ci-tra ambages profiteor, omninoque existimo, in priori vaticinii huius parte de Antiocho, in posteriori de Anti-christo, sermonem esse, sed vt in priori Antiochus simul, vt antichristi typus, exhibeatur. Pri-mo namque constat, comparatione instituta, si vnquam typus similis fuit antitypo, Anti-christum similem esse Antiocho. Siue indolem

\* *adh. c.* \*\* *vid. supra §. XXXV.*

& genium Antiochi, eiusque denominationem, dum *rex spiritus* vocatur, siue malitiam, & acerbissimum verae religionis odium, siue crudelitatem & saeuitiam atrocissimam in veros veri Dei cultores, siue vexationis modum, impetumque eius, ratione, qua non sperauerat, cohibendum, & fractas atque labefactatas vires, & reliqua, species, mirifice in his omnibus inter se conueniunt consentiuntque Antichristus & Antiochus. Atque id quidem primo loco requiritur, vt typus exacte exhibeat atque repraesentet antitypum. Nectamen obstat, quod praeter haec in quibus Antichristum exhibet, de Antiocho quaedam referantur, in quibus ab eo discernitur; nullus vnquam enim typus fuerit, qui ita consenserit aut consentire per omnia debuerit cum antitypo, vt in eo nihil esset, quo ab antitypo distingueretur, Dauid, Salomoh, Samson, fuere typi Christi: quis autem dixerit, quae omnes vitae actus, hosce conuenire cum Christo ceu antitypo? Et hinc etiam probauimus supra, quod de Antiocho loquatur Daniel in priori vaticinii parte, non de Antichristo, quia quaedam in Antiochum quadrant, quae non aequae conueniunt Antichristo. At vt typus esset Antichristi, sufficiebat, eum ita describi, vt in praecipuis vitae & actionum suarum momentis, non autem in omnibus, Antichristum repraesentaret, atque exhiberet. Iam autem ipsa quoque transitio ab Antiocho ad Antichristum, longe est concinnior. Si enim inter vtriusque partem vaticinii nulla esset coniunctio, indecoro & violento quodam saltu, a tempore tertiae monarchiae, ad vltima ecclesiae fata, se conuerrere videretur Daniel. Nihil contra apertius & ordinatius, quam finito sermone de Antiocho, statim distinctius aliquid de eo, cuius imaginem Antiochus gessit, subiicere. Et id quidem solenne admodum vaticinium diuinis est, a typo statim transire ad antitypum. Quibus omnibus & id adiiciendum, verba eiusmodi formulasque loquendi sacras, magni vtique ponderis, adhibitas esse, vt subinde dubites, efficaciusne mores & fata Antiochi, quam Antichristi exprimant. Ex quo colligas merito, spiritum sanctum de typo ita locutum esse, vt statim ad antitypum velut nos manducere velit. Quod facile etiam omnes intelligent, qui considerauerint, praecipuum Danielis, vel Dei potius Danieli talia reuelantis, consilium fuisse, christianae ecclesiae fata describere. Quod autem non  
 nsmo,

nemo, vt hanc HIERONYMI quae & nostra est, sententiam impugnet, obuertit, de vno subiecto locutum esse coelestem praecoem, nec geminum scripturae assignendum sensum, nullum plane momentum trahit. Loquitur enim vtiq; vir sanctissimus de vno subiecto, videlicet de Antiocho: qui tamen est typus antichristi. Nec geminus inde oritur scripturae sensus, sed vnus est, manetque, etiamsi typus se referat ad antitypum suum. Ceteroquin sequeretur, duplicem etiam esse scripturae sacrae sensum, cum vitam Dauidis, Salomonis, aliorumque descripsit, quos seruatoris fuisse typos, positum apud omnes est extra controuersiam. Quod absolum esset, nec admittitur ab eo, contra quem disputamus. Ergo vti nec alibi, vbi typus aliquis describitur, duplex statim sensus scripturae adesse debet, ita nec in vaticinio Danielis, in quo Antiochus describitur vt typus antichristi. Et ita demonstrauimus, Antiochum epiphaniem inter peccatores typicos referendum esse.

§. XLVII. Superessent adhuc multa, disquisitione & animaduersione non indigna, si cuncta typicorum peccatorum exempla congerere animus esset. Cum primis quae de septem ecclesiis Asiaticis *Apocalyp. cap. II. & III.* commemorantur, amplissimum disputandi argumentum praebere possent. Sunt, qui sensum epistolarum apocalypiticarum historicum, sunt qui propheticum acriter defendunt. Posset forte vtraque sententia ita coniungi, vt diceretur, in epistolis huius historice statum ecclesiarum istarum Asiaticarum, qualis tum fuit, describi, sed non sine mysterio quodam, istum harum ecclesiarum statum, exhibuisse fata secutura ecclesiae christianae vniuersae. Hinc & peccata, quae in istis ecclesiis notantur, essent peccata typica, ea, quae deinceps ab aliis perpetranda essent, adumbrantia. Sed haec omnia inuestigare accuratius, nostri nunc instituti ratio non permittit: nec committendum nobis, vt exercitationis academicae modum, vltra quam decet, migrasse videamur.

§. XLVIII. Quamobrem hoc saltem addendum, commendationis huius eo tandem collimare scopum, vt intelligamus, Deum nulla ratione peccatorum aut causam esse, aut auctorem: hominum tamen peccata permittendo, & puniendo, alios commonefacere, vt sapientius se gerant. Ideoque & cum sapientissime cuncta ita disposita fuisse,

fuisse, vt quae in veteri testamento improbi homines designarunt, & simul ob facinora sua perpeffi sunt, exempla & imagines essent eorum, quae eadem indole praediti, in nouo gesturi essent, easdem etiam aut maiores poenas daturi. Namque vt longe clarior veritatis bonitatisque diuinae, per donorum spiritualium copiam, lux iis, qui in nouo federe constituti sunt, affulsit, ita & longe grauiores subibunt poenas, qui repudiata tam clara luce, manere malunt in tenebris. *Ebr. II. 1. 2. 3.* Id vero cum primis hic discere licet, perspecta Deo & explorata esse cuncta mortalium facta, bona aequae ac mala, adeo quidem vt praesignificauerit etiam, quae improbe & peruerse acturi essent vltimis temporibus mortales. Qui ergo & futura peccata nouit, eaque praedixit, hunc tu praesentia, quantumuis minima, latere putes? Si vero non latent, num te impune pro animi lubricine cuncta perpetraturum censes? Num perinde esse, credes, in iis nomen profitearis, qui pro Christo, fide, confessione, vitaeque puritate, & patientia militant, an illis annumereris, qui erroribus, hypocrisis, fraudulentia, & male factis, infernalis genii regnum dilatant, atque amplificat egregie? Cumque etiam exemplis luculenter ostensum sit, prima fronte quaedam peccata leuia visa, quae tamen longe fuerunt grauissima, vel ipso antitypo typi foeditatem manifestante, & id indicio nobis fuerit, quam facile in aestimandis peccatis a diuinae veritatis discendum norma. Quodlibet peccatum, quantumuis minimum, seria detestatione retractandum est, nisi eo seiungi a Deo, & in summam conici miseriam capiamus; sed cum primis tamen, iis, quibus salus sua curae cordique est, dispiciendum, ne leuia insuper putent, quae reuera sunt longe grauissima. Haec & reliqua, quae sua sponte, ex nostra tractatione fluunt, si diligenter meditemur, quod o-  
mnes, qui haec legerint, redibit fructus, & nostri nos minime poenitebit laboris.

S. D. G.

---

g. 128. lin. 5. pro Capum, lege Casum.

104) 56

00 A 6354  
VD 18

ULB Halle 3  
002 842 548



JK

VD 17

Reho ✓









EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
**PECCATIS TYPICIS**

*QVAM*  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
**DN. VVILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE, RELIQVA  
*AD DIEM SEPTEMB. M. D. CC VI.*

PRAESIDE  
**IOANNE FRANCISCO BVDDEO**

S. S. THEOL. D. ET P. P. O.  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
**IACOBVS DE BRVYCKER**

SLESVICO · HOLSATVS.

---

LIPSI AE,

---

ANNO MDCC XXI.

*Handwritten signature or initials*